DECRETA
ET
CONSTITVTIONES
DIOECESANAE
SYNODI POLYCASTRENSIS.
PER REVER.^MVM^ PETRVM MAGRI
Roſſanenſem Epiſcopum Polycaſtrenſem
Dominum in temporalibus Terræ Tur-
ris Vrſaiæ, & Caſtri Rogerij in Ar-
chipresbyterali Eccleſia Re-
ceptiua Sancti Nicolai
Terræ Lauriæ,

CELEBRATAE IN FÆSTO SANCTORVM
Principum Apoſtolorum Tertio Kalendas Iulij Anno ſalutis
M. DC. XXXVIII.

HONOR, ET

SOLI DEO



GLORIA.

ROMAE, Typis Franciſci Zannetti. M. DC. XXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſt. Sac. Palatij Apoſtolici.

Io: Baptiſta Epiſc. Camerin. Viceſg.

Imprim. Fr.Hiacynthus Lupus Mag.& Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Riccardij Sacr. Palatij Apoſt. Magiſt. Ord. Prædic.

Digitized by Google



Digitized by Google

EDICTVM INDICTIONIS SYNODI POLYCASTREN.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

PETRVS MAGRI ROSSANEN CANONVM, & Legum Doctor Dei, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Polycaſtrenſis Dominus in temporalibus Terræ Turris Vrſaiæ, & Caſtri Rogerij.

E*ADEM (in Domino dilectiſſimi) eſt natura hominum, quæ, & agrorum, qui niſi crebrò excolantur nullum, aut per exiguum fructum ferunt, magnamque ſpinarum copiam profundunt. Contra verò ſi cultura, & diligentia adhibeatur, & ſteriles agri ſæpe fructuoſi euadunt, & Natura boni meliores, & fæcundiores fiunt. Ob eas cauſas Iure optimo ex tempore Vetuſtiſſimo Apoſtolorum, quò cæpit Eccleſia propagari, ſub Iacobo Apoſtolo Hieroſolymitano Epiſcopo fuit coacta ſynodus, vt in actibus Apoſtolorum cap. 15. & 21. in qua conuocati fuere omnes ſeniores Græcè Presbyteri nuncupati. Id etiam cautum fuit per ſanctorum Patrum Decreta, & tandem per ſacroſanctum Trid. Conc. ſeß. 24. cap. 2. de Reformatione. Quia per ſynodales vniuſcuiuſque Diæceſis conſtitutiones, diuinus cultus recipit incrementum; diſciplina Chriſtiana, & boni mores conſeruantur, & augentur, deprauati verò emendantur, & corriguntur. Ideo peracta prima Generali viſitatione noſtræ Cathedralis, Parochialium, aliarumque Eccleſiarum, Hoſpitalium, Piorum montium, Congregationum, confraternitatum, & perſonarum quarumcunq. Eccleſiaſticarum in locis noſtræ Diæceſis exiſtentium, adiutrice diuina gratia, per quam agri animarum fidelium excoluntur diuerſimodè, Boni, vt maiores fructus afferant, infæcundi, vt fæcundentur, ſynodum Diæceſanam indicimus his noſtris literis ad diem 29. menſis Iunij Anni currentis 1638. Deo adiuuante*

celebrandam, quam notam facimus omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœcēſis Polycaſtreñ. Congregationes verò ſtatuendarum rerum nobis, & alijs pijs viris de Capitulo, & Diœceſi deſignatis aſſiſtentibus in Palatio Epiſcopali noſtræ ſolitę reſidentiæ Terrę Turris Vrſaie à die prima eiuſdem præfati menſis habebuntur. Quamobrem vniuerſos, & ſingulos, qui in noſtra Policaſt. Dięc. Beneficia, quæcumque Eccleſiaſtica etiã, quæ ſine cura ſunt, obtinent, & eos prętereà omnes qui quouis Iure, & conſuetudine Diæceſanæ ſynodi intereſſe debent, monemus in Domino, & in virtute, et merito ſanctæ obedientiæ, ac pœnis ſacrorũ canonũ ſtatutis, alijſq. arbitrarijs, vt ipſi ea, qua decet, honeſtate clericalibus veſtibus induti cũ ſuperpelliceis mundis, et inſignibus prǣſtituta die ſummo mane ad Diæceſanam ſynodum, quam in Eccleſia Archipresbyterali curata S. Nicolai Terræ Lauriæ noſtræ Policaſt. Diæc. celebrabimus perſonaliter conueniant, niſi ex legitima cauſa à nobis probanda impediti per certos Nuncios cum ſpeciali mandato excuſentur, et niſi peracta ſynodo, et dota noſtra benedictione; ſub eiſdem pœnis diſcedere non præſumant. Mandamus præterea, vt poſt huius edicti publicationem in ſingulis Eccleſiis Parochialibus, quoaduſque ſynodus peracta, et abſoluta ſit, præces ex animo ad Deum fundantur, et feria 5. vniuſcuiuſque hebdomadæ pro optimo euentu ſynodalium conſtitutionum miſſa de Spiritu ſancto celebretur, vt lumine claritatis ipſius videre poſſimus, quę rectè agenda ſunt, et ea quę recta ſunt agere valeamus. Hortamur inſuper omnes in Domino ad ſynodum accedentes, vt tam in itinere quam in loco manſionis grauitatem, et modeſtiam oſtendant, exemplum bonum exhibendo in verbo, in cõuerſatione, Charitate, fide, et caſtitate, vt Apoſtolus deſiderat; nobiſque tantum negotium tractantibus à D.O.M. omni animi pietate, ſacrificijs, et præcibus auxilium Diuinum implorare ſtudeant. Datum in noſtro Epiſcopali Palatie ſolitę Reſidentię Terrę Turris Vrſaię die prima Maij 1638.

PETRI

Digitized by Google

PETRI MAGRI ROSSANENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS gratia Epiſcopi Polycaſtrenſis, Domini in temporalibus Terræ Turris vrſaiæ, & Caſtri Rogerij,

AD CAPITVLVM, CVRATOS, CLERVM, & vniuerſum Populum Diœceſanum præmonitio.

ÆTERNVS rerum Conditor, cuius iudicià abyſſus multa, æternæq; prouidétię ſuę cõſilijs, & inſcrutabili ſuo iudicio, licet impares ad Paſtorale munus, Angelicis humeris formidandum, miſericorditer vocauit, & Cathedralis Eccleſiæ Polycaſtren, eiuſq; Diœceſis peruigilantiſſimũ Vniuerſalis Eccleſiæ ſuæ Paſtorem, & Pontificem Maximum Vrbanum Octauum fœliciter regnantem, Epiſcopum ordinauit. Agnoſcentes, vt par eſt, vocationem in Domo Dei, & beneficium diuinum; Initio præſulatus noſtri, labores, curas, & ſollicitudines quaslibet præfato muneri è Sacris canonibus, & ſummorum, Pontificum conſtitutionibus iniunctas, non reiecimus, memores illius reſponſionis ab æterna veritate ad Principem Apoſtolorum enunciatę: opus ſuſcepiſti id perfice, labora, & te certaminibus expone. Quinimmò eas omnes, diuina fauente gratia, amplexati fuimus omni dexteritate, & induſtria, obſtacula, & difficultates quaſcumque ſuperantes; totam in primo anno Diœceſim perluſtrantes, viſitando oues cõmiſſas, quas nominatim vocare tenemur in ouilibus ſuis. Sanctum Chriſma vbique, cnm oportuna præmonitione ad Populos, miniſtrauims, & pro noſtro poſſe, totiſque viſceribus abiecta collegimus, infirmaque ſolidauimus. Mox in ſecundo anni curſu oculos ad reparandas collabentes Epiſcopales Aedes aliaque bona menſæ, non abſque ærumnis, & aſſiduis laboribus conieci-

ieci-

iecimus, & progredimur ad perfectionem. In labenti hoc tertio anno ad inſtar immundæ pecudis; deguſtata paſcua ruminantes, quid circa moderandos, & emendandos prauos mores, exceſſuſque corrigendos, curam vè animarum, nobis primò, & cooperatoribus noſtris Archipresbyteris curatis commiſſam, vitam, honeſtatemque perſonarum Eccleſiaſticarum,aliaq.ad Iuriſdictionem noſtram Epiſcopalem pertinentia, ſtatuere, & ordinare, prout à ſacris canonibus permittitur ad Dei omnipotentis honorem, & gloriam, animum applicauimus,& ſynodum Diœceſanam ad præſcriptū Sac. Trid.Conc.ſeſſ.24. cap.2. de reform. quotannis deſideratam, ad præſentem ſtatutam diem, hac de re,protraximus,& indiximus. Et quamuis non parum laborauerit oculatiſsimus, omnique pietate, & bono zelo repletus b:me: Vrbanus Feliceus Aquilanus Epiſcopus prædeceſſor noſter,in ſynodo, quam habuit ſub vigeſima Maij Anno ſalut.hum.1632. in recolligendis omnibus ſtatutis, ordinatis,& diſperſis non impreſſis,& peuè abrogatis, per Eminentiſſimum Philippum Spinellum fœlic. record. tunc temporis Polycaſtreñ Antiſtitem zelantiſſimum. Nec non per b:m: Ioãnem.Ant.Sanctorium Tarentinam Præſulem omni virtute,& pietate refertum,ex quibus nunc mutando, corrigendo,& modo noua ſtatuendo ſuam ſynodum Diœceſanam ordinauit. Attendentes verò nos, quod reprehenſibile iudicari non poteſt ſi ſtatuta quandoque, varientur humana, ſi conditiones temporum varientur, eoque magis ſi euidens vtilitas,vel vrgens neceſſitas expoſcunt: cum Deus ipſe nonnulla mutauerit in nouo teſtamento, quæ in veteri ſtatuerat; Conſentaneum iudicauimus, ex retro actis noſtrorum prædeceſſorum ſtatutis reaſſumere quidquid optimum inuenerimus, Ijſque ne crebrò inter omninò omnis eruditionis expertes, confuſio oriatur pœnitus ſuppreſſis, & abrogatis, niſi aliud expreſsè caueatur. Et quia hominum natura, ſemper properat nouas formas edere, ad eludēdas omnes prouiſiones de præterito factas, hac de re,vt humana coerceatur audacia ſuperijs, quæ de nouo emergunt, noua iura condūtur,quæ lucida, & aperta lingua formauimus, vt quanto promptiora ad manus inueniri debeant,tantò fiant intelligibiliora. Conſtituimus idcircò ad obſeruantiam noſtrarum ſynodalium conſtitutionum neminem adſtringi, niſi quatuor menſibus decurſis poſt earum publicationem, & ſi eæ typis non dum excuſſæ fuerint; & vbi in decretis pœna non taxatur, ſi præceptiuè loquamur, & de iure nulla pœna adiecta ſit, intelligatur, trangreſſorem peccare mortaliter, & ad arbitrariam pœnam, prout facti qualitas, & delicti conditio requirit, obnoxium remanere. Reſtat modo,vt ſi in ſedendo, incedendo,

vel

vel actum quempiam exequendo, aliquem alienum vſurpauerit, & occupauerit locum, eidem nullum ex hoc Ius acquiri, nec alteri præiudicium generari, vt concorditer, vno ore canamus: Omnes gentes plaudite manibus. Et quidquid paſtorali, & paterna ſollicitudine ſtatuere inſudauimus, Vos noſtræ Cathedralis ſenatus ornatiſſime, zelantiſſimi Parochi cooperatores noſtri; RR. Sacerdotes, & omnes Clerici, ope ter ſanctæ Virginis Immaculatæ Deiparæ, noſtræ Cathedralis Patronæ ſuffulti, exequi, & illuſtrare ſtudeatis, & Altiſſimi gratia ſemper in ſuo ſancto ſeruitio gaudentes, & feruentes conſeruet.

Petrus Magri Roſſanen. Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Polycaſtren. Dominus in temporalibus Terræ Turris vrſaiæ, & Caſtri Rogerij. De conſilio, & conſenſu R. Capituli noſtri, & Curatorum vniuerſæ noſtræ Diæceſis, hæc, quæ ſequuntur, in noſtra Diæceſana ſynodo legitimè congregata, ſtatuimus, atquè ſancimus.

De fide Catholica, eiuſquè profeſſione emittenda.

VBi Chriſtus nō eſt fundamentum nullum boni operis eſt ſuper ædificium. Egregius enim Prædicator dixit: fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, qui odit ſacrificia Hæreticorum, & à ſe proijcit; & quotieſcumque in nomine Domini fuerint congregati, deteſtatur fætorem eorum, & claudit nares ſuas, quia vna eſt fidelium Vniuerſalis Eccleſia, extrà quam, nullus omnino ſaluatur. Cauet ideo Sac. Trid. Conc. nihil eſſe prætermittendum, quod videatur ad Populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium, pertinere poſſe. Vnde tàm Epiſcopum, Beneficiatos, cæteroſque in ſynodo intereſſe debentes, ad orthodoxæ fidei profeſſionem emittendam, forma inferius præſcripta, ex Pij Quarti Pontificis Maximi felic. recordat: Conſtitutione deſumpta in Eccleſię Romanæ obedientia permanſuros primę ſynodi habendæ obſtrinxit. Quam fidei profeſſionem ex corde emittimus, & emittent reſpectiuè; pariterque monemus omnes, & ſingulos, qui in noſtra Cathedrali Dignitates, & Canonicatus in poſterum obtinebunt, in noſtro, Capituliquè conſpectu, infra ſemeſtre tempus, à capta poſſeſſione, eamdem fidei profeſſionem emittere non differant.

Can. odit & Cæ. cùm Pau. lus 1.q.1.

Cap. 1. de ſum. Trinit. & Fide Cath. ſeſſ. 15. c. 2. de ref.

Archipresbyteri, ſiuè Curati,Parochiales, ac etiam regularia beneficia obtinentes, intra idem tempus, coram Nobis,vel Vicario noſtro Generali emittant,cæteriquè omnes,qui ſecundum Canones emittere tenentur,adimpleant; aliàs pœnas,tam à ſacris Canonibus, quàm ex relata Pontificia Conſtitutione luent, eiſquè poſſeſſio adepta,non ſuffragetur, vt faciant fructus ſuos. Inſuper Theologi, Philoſophi, Dialectici, Theologiam, Philoſophiam, & Dialecticam explicantes, Medici pharmaca ordinantes, Chyrugiam exercentes, Muſicam, Arithmeticam, Rethoricam, Grammaticam,cœterarumquè artium liberalium, ſcientiarum genera profitentes, alios edocendo, tàm publicè, quàm priuatè, niſi emiſſa fidei profeſſione,in manibus noſtris, vel noſtri Generalis Vicarij,ſub pęna excõmunicationis,aggredi non præſumant, & ſi ſecus, intrà menſem omninò compellantur. Ad quam fidei profeſſionem,Cõcionatores, & Confeſſarios ſœculares,& Regulares, ſemel tantũ adſtringimus,qui omnes ſi defecerint,excommunicationis gladio feriẽdos, decernimus,vt,vel dimittant, vel profiteãtur. Quibus enunciatis,Reuerẽdiſſimus Dominus Epiſcopus,ante faldiſtorium humiliter genuflexus ad pedes Crucifixi, fidei profeſſionem emiſit, & in fine illius adiunxit: Omnia denique in hac ſynodo ſancita S.R.E.omnium Eccleſiarum matri, & magiſtræ, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio, & correctioni humiliter ſubijcienda eſſe teſtamur. Et in eius manibus omnes in ſynodo intereſſentes Secretario eiuſdem ſynodi formam alta, & clara voce legente, & omnes genuflexi,vnus poſt alium, pronunciauerunt. Ego N.N. promitto, profiteor, Voueo, & Iuro,vt in perlecta formula profeſſionis fidei ex Bulla Sãctiſſimi Domini noſtri Pij IV. fœlic. record. Sic me Deus adiuuet,& hæc ſancta Dei Euangelia.

Quam formam fidei profeſſionis emittendã ex præcitata Pontificia Conſtitutione deſumptam,ad quotidianum vſum noſtrorum ſubditorum, in ſequenti pagina inſerendam forè neceſſarium cenſuimus in modum ſequentem.

Forma Profeſſionis fidei.

EGo N. firma fide credo,& profiteor omnia,& ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum

ante

ante omnia ſæcula, **Deum de Deo, lumen de lumine**, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurexit tertia die ſecundum Scripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterũ venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem; qui ex Patre, filioque procedit, qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas; & vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam; Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & expecto reſurectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſquè eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquã, niſi iuxta vnanimẽ conſenſũ Patrũ accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmũ, Confirmationem, Euchariſtiam, Pęnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaquè gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem; ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Càtholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & iuſtificatione in ſacro ſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Confiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriquè conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumquè Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſquè ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos, vna cum Chriſto regnantes, venerandos, & inuocandos eſſe, eoſquè

orationes Deo, pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, ac retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq. vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum, Matrem, et magiſtram, agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cœtera item omnia à ſacris Canonibus, et œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacro ſancta Tridentina ſynodo tradita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extrà quam, nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in preſenti ſpontè profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè, Deo adiuuante, retinere, et confiteri, atque à meis ſubditis, ſeù illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, et hæc ſancta Dei Euangelia.

SESSIO PRIMA.

De Doctrina Chriſtiana edocenda, et obedientia erga Deum, et Parentes habenda.

CAP. I.

PVerilis ætas, niſi à teneris annis ad pietatem, et Religionem informetur, tamquam pecus, et bellua iuuentus inuenietur, & ſicut gentes, quæ ignorant Deum; at ſi à pueritia rectè inſtituantur homines, in reliqua ætate melius vitæ eorum rationes moderantur. Id mirificè prẹmonuit Doctor gentium optans in animis Chriſtianorum pietatem ſerendam, excolendam, & confirmandā, ita tamen, vt priuſquam mentem appellant ad malum, & ſuccreſcentibus cum ætate vitijs, in carnis peccatorum libertate altiores radices iaciant in timore Domini, qui ſapientiæ initium eſt. Parochis omnibus, hac noſtra ſanctione ſynodali mandamus, vt ſingulis Dominicis diebus pueros, (1.Tim. 4.)

&

& puellas intrà fines Parochiæ habitantes, Doctrinam Chriſtianam ſollicitè ſtudeant edocere. Nam quæ inſtillantur pueris hoc modo, ſunt tanquam naturalia ſenſim imbuta, & tranſeunt in eam firmitatē, quam habet natura, & in hoc vtili exercitio pueros audire, quæ nec grandiores à Prædicatoribus audiunt, & cum paruuli ipſi filios generabunt, benè eos inſtruent, & quaſi iure hæreditatis in poſteros tranſibit timor Domini.

CAP. II.

PEr multa ſparſim, tàm à ſacris Canonibus, quàm à ſacro Tridentino Concilio deſiderantur à Curatis. Eruditio tamen Doctrinæ Chriſtianæ pro ſingulari munere. Quam eruditionem initio Præſulatus noſtri, non ſine maximo animi noſtri mærore tepefactam inuenimus, & impletum eſt illud: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Vndè loca totius noſtræ Diœceſis perluſtrantes inter decreta generalia Viſitationis, Curatos monuimus quoſcunq; & modò in Domino monemus, ſub pœna peccati mortalis ipſo facto, & alia arbitrio noſtro taxanda (quod moleſte fertur à non nullis) ne deficiant. Vtq; facilius munus exoluant, adiungant ad minus Præsbyteros duos, moribus, & Chriſtianis virtutibus compoſitos, qui præſente Curato coadiuuabunt, eoq; abſente, vel præpedito, explicabunt munus. Clerici paruuli, quibus inſtructio eſt neceſſaria, aſſiſtant, & pariter coadiuuabunt ad nutum Curati, qui, ſi obedire recuſauerint, pro modo culpę, in ipſos animaduertant ijdemmet Curati, preter arbitrarjam pœnam Nobis reſeruatam.

Seſſ. 24. cap. 4 de Refor Et Seſſ. 5. cap. 2. de Refor.

CAP. III.

EOdem onere obſtringuntur, poſt parentes, patrini è ſacro fonte paruulos ſuſcipientes, & in ſacramento Cōfirmationis tenentes, ludiq; litterarij magiſtri; nam, quos ſuſcipiunt edocendos, Doctrinæ Chriſtianę rudimētis alere non omittant. Idquè auribus fidelium, tàm verbi Dei Seminatores in cōcionibus, quàm Curati in exhortationibus, perſæpè acclamando inculcabunt. A prandio, vſq; ad veſpertinas laudes congrua aſſignetur hora à Parochis, & ante initium circumeat tintinnabulum per vicos, & fines Parochiæ, præter ſignum campanulæ parochialis, ad quam pueri, puellęq; conuocentur: & ſi Curatus ſuperpelliceo, & ſtola deſuper indutus ſit, honeſtius, & grauius aget. Pueri à puellis ſegregati, ſtantes, deuoto affectu repetent,

quod

quod Curatus pronunciauit, & quandoq; interrogationibus reſpondeant;ſciantq;cuncti Curati fructum ſeminis, nō labore labiorum colligi,nam(Pſittaci etiam loquuntur)ſed ex eruditione efficaci,& capacitate verborum,& myſteriorum fidelibus pectoribus inſerendorum.

CAP. IV.

E Docendi verò modus ex varijs libellis Doctrinæ, arbitrio Curati, eligi poteſt; ſatis laudabilis, & commendandus ille eſt, quem Eminētiſſimus,diſertiſſimus,ſummaq; pietate repletus Cardinalis Belarminus bonæ memoriæ iuſſu Clementis Octaui Pontificis maximi fælicis recordationis, introduxit, Typiſq: mandauit.

CAP. V.

IN inſignioribus locis,& Ciuitatibus prouidè Confraternitates,Cōgregationes, & Scholæ Indulgentijs ſummorum Pontificum ditatæ,inſtitutæ ſunt,vt eò magis alliciantur animi ad tàm ſanctum exercitium. Illud idem in locis, & Pagis totius noſtræ Diœceſis ex corde optaremus. Sed,quia gentes ruſticitate potius,quàm ſpirituali Pabulo deditę ſunt,optatus finis euaneſcit. Attamen ſemel in anno in fœſto Dominicę Trinitatis Curatis ipſis,enixè monendo pręcipimus ſub pęna arbitrio noſtro taxanda, vt ſedulitate,qua ſperamus cōuocent pueros,& dirigant ad aliam Eccleſiam, præcedente tintinnabulo, deindè duę facculę,& Crucifixus ſequantur. Pueri à puellis ſemper diſiuncti, & bini; cantentur litanię maiores in acceſſu; in receſſu verò laudes,& hymni Beatę Marię Virginis, aſſiſtentibus Clericis ad Curati nutum, ipſoq; Curato, vt diximus, ſuperpelliceo,& ſtola induto; & intereſſentibus quadraginta dies Indulgentiarum, noſtra authoritate ordiuaria, concedimus.

CAP. VI.

L Audabilem conſuetudinē pronunciandi in miſſa fœſtiua per Curatum orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum fidei, Salue Regina, Præcepta Decalogi, Peccata capitalia, Sacramenta Eccleſiæ,itemq: mandata ipſius pro ruſticis,ipſiſq; ſummiſſa voce reſpoudentibus, non reuocamus; immò eam approbamus, & ad amuſſim retinendam,& frequentandam, præcipimus.

CAP.

CAP. VII.

SI Generale pactum eſt ſocietatis humanæ naturæ Regibus obedire, quantò magis vniuerſæ creaturæ regnatori Deo obediendum eſt. Hinc tentatus Abraham illicò Iſaac puerum ſuum ad ſacrificandum conduxit, & Dominus reſpexit potiùs obedientiam, quàm Victimam, quia illa ſemper præcipitur, hæc verò conſulitur, cuius recordatus Apoſtolorum Princeps, hilari, fortiq́uè animo pronunciauit: obedire oportet magis Deo, quàm hominibus: quem Sancti Patres ſectãtes, vbiq; teſtati ſunt in auditu aurium, omnes Deo obedire debere, & ipſe Chriſtus, ne ſemitam obedientiæ relinqueret, morte turpiſsima mori voluit. Hanc eamdem obedientiam parentibus debent filij, in præceptis Decalogi, poſt Dei cultum. Quod præmonuit Apoſtolus ad Epheſios: Filij obedire Parentibus, quo præcepto admonemur, non ſolum, vt parentes veneratione proſequamur, eorumq́; dictis obediẽdo, rerum, & ſi indigeant, illis benignè ſuppeditemus, eosq; viciſſim alamus, quorum cura ſingulari enutriti, & edocti ſumus. Et quemadmodum obedientia Deo præſtanda religio eſt, ipſum venerando, eius mandata ſeruando, & cuſtodiendo, ita obedientia Parentibus exhibenda, dilectio, & pietas eſt. Conijciant oculos Curati, & Concionatores ad currentis temporis inhumanitatem, & attrectabunt manibus, pauciſſimos Deo, Parentibusq; obedire. Inuehant igitur contra tranſgreſſores acris obiurgationibus in concionibus, & exhortationibus, quia vberes meſſes à ſparſi ſeminis largitate conſurgent.

Can quæ contra 3. diſtin.

cap. illud de maior. & obed.

Actu Ap. cap. 5.

Ad Philipp. c. 2,

cap. 6.

De Verbi Dei prædicatione.

CAP. I.

PRædicationis munus frequens in Eccleſia Dei, tam vtile, tàmquè neceſſarium, nemo eſt, qui non videat. Ideo Tridentina Synodus varijs in locis, ne omittatur ab Epiſcopis, & Curatis præcipuè inculcauit, non ſine graui ratione, nàm ipſi, alijq; Concionatores, vox ad Dei gloriam, & Philomelæ Dei eſſe debent: Chriſtus enim ipſe voce ſemper docuit, nihil ſcribens. Oculos firmabunt attentè, ne lingua ſit magniloqua, & manus otioſa. Saluator noſter fecit, & docuit: & qui hortatu ædificant, moribus, non deſtruant: quia cum alijs prædicant, ipſi reprobi efficiuntur. Ideo Andreas Apoſtolus viuus in Cruce pendens ad populum prædicabat.

Ratio-

Rationem itaq; Concionatoribus prædicandi hanc perpetuò proponimus, vt Catholicam, ſanamq; Doctrinam prædicent, & à recenſendis Hæreticorum ſenſibus, & ab alijs, quæ aures pruriunt, pænitùs abſtineant. Vitia acriter reprehendant, & quo modo declinanda erunt. Virtutes ſeminent, eaſq; in auditorum animis inſerere pro viribus conentur. Vt quiſquis æternis deterritus pænis, ad Cæleſtis vitę præmia inflammetur: totuſq; ſermo ſit de virtutibus, ac vitijs: de præmijs, ac pænis. Et vbi erunt vulnera, erit medicina. Tunc fructum ſeminis vberrimum colligent, ſi annunciabunt clamore valido ſcælera populorum, comminantes horribilem illam Prophetæ ſententiam: væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.

Iſa. 58.

Iſa. 3.

CAP. II.

VErbum Paſtoris fortius eſt verbo mercenarij, & lac matris, lacte nutricis vtilius. Curati ideo Dominicis, alijsq; ſolemnioribus diebus (niſi aduerſa valetudine, alioue curæ impedimento præpediātur) plebem ſalutaribus verbis, pro ſua, & eorum capacitate, paſcant, cū facilitate, & breuitate ſermonis, ex parabola Euangelica diei materiā acquirendo: vtiliter monendo, declinari vitia, actionesq; Chriſtianas ſectandas. Quo modo confitenda erunt peccata ſingula, & ſæpius quanti refert præparationem cum animi dolore de commiſſis contra Deum, & proximum, habere; quonam modo humili, & deuoto ad Altaris Cœnam accedendum ſit, ne iudicium ſibi ipſis manducent, & bibant; Quænam locis ſacris (quos decet ſanctitudo) reuerentia exhibenda ſit; quæ mala, & damna Chriſtianis cenſuræ Eccleſiaſticæ inferant; vt, qui in culpam labuntur reſurgant citius, nec excommunicatis communicent; imò tamquam peſtem fugiant. Quomodo Præceptis Eccleſiaſticis, & præſertim fœſtis diebus de præcepto, miſſam ne deſerant, obtemperandum, & à ſeruilibus operibus abſtinendum. Sic præcepit Dominus: omne opus ſeruile non facietis in eo. Diuino præcepto obſtringi ad Decimas exoluendas. Vt Pueri, & puellæ conueniant ad Doctrinam Chriſtianam. Terreant ſponſos de peſtifero vſu conſummandi matrimonia ante Sacerdotalem benedictionem. Item ne cenſus, bona, & iura Eccleſiaſtica vſurpentur. Inſtruant quàm gratum erit Altiſſimo, qui pro Crucifixoribus rogauit, ſi dimittant offenſoribus iniurias; cæteraquè alia erudiant, quæ neceſſaria, & vtilia ad ſalutem iudicauerint. Iidemquè Curati monitiones, quas in re tam graui præmiſimus, reuocent in animum, & teneri ad munus ex præceptiua lege ad mortale ligante: tunc ex verbi Dei ſemi-

Leuit. cap. 13

ne

ne expectari fructum trigeſimum, ſexageſimum; & centeſimum.

CAP. III.

COncionatores tàm ſeculares, quàm quorumuis ordinum regularium, etiam cuius vis Societatis, Congregationis, vel inſtituti, in Eccleſijs noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, quocumquè tempore concionem, vel ſermonem effundere, non præſumant, abſq; noſtra licentia, & benedictione; at ſi ij temerè attentare præſumpſerint, impediantur, & arceantur à Curato, & Vicario loci, etiam nomine noſtro cenſuras Eccleſiaſticas comminando, qui ſi negligentes, & cōniuentes erunt, pœnam arbitrariam luent. In Eccleſijs verò ſuorum ordinum, cum facultate, & approbatione Superiorum, de Doctrina, probis moribus, & vita, perſonaliter ſe preſentent, noſtram benedictionem accepturi. Conſuetudines prædicandi antiquatas, non reijcimus, quinimmò amplexamur, eò maximè, quia ob virium non nullorum noſtræ Diœceſis Pagorum paruitatem, Concionatorem vnum modò huc, modò illhuc diuertere oportet. Tempus verò congruum, ſtata hora, à Curato de manè pro plebe operibus ſeruilibus incumbente, aſſignetur. Sermonem verò luctuoſum de paſſione, & morte Redemptoris, ad euitandū, quæ ſatis comprobata fuere euentibus, recitari de nocte, prorsùs vetamus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, contrà Concionatores, & Curatos, nobis reſeruatę: ita tamen, vt ſi feria quinta in Cœna Domini habendus erit, ad occaſum ſolis terminetur; ſi feria ſexta Paraſceue, oriente ſole initium habeat.

Concil. Trid. Seſſ. 5. cap 2. & Seſſ 24 cap. 4. de refor.

Conſtit. Gregorij XV. inexc.u abilis nonis fe. bruarij. 1622. & reſponsū SS. Vrbani Octaui 30 Ianuarij 1629. Epiſcopo Giennen.

CAP. IV.

ELeemoſynæ à Concionatoribus quęritandæ, tàm de noſtra, quàm loci foranei licentia ad manus Curati fideliter reponantur, quæ dietim, vel finita prędicatione, per ipſum egentibus, & miſerabilibus, pietate, quàm Deus ſuggeſſerit, partiantur, niſi aliud à nobis iniunctum fuerit.

CAP. V.

EÒ peruenit ſęculi huius auaritia, quod ſummoperè mirandum, & dolendum eſt, vt reſecandi, & defalcādi Concionatorum mercedes, cōmentita ratione, erubeſcere non curauerit, procul enim abijt caritas, quę dignum facit operariū mercede ſua; rationabiliter quidē, nàm quibus ſemināur ſpiritualia, ab eiſdē tēporalia metere pium eſt.

Ideò mercedes ex publico ærario, hucuſq; præſtari ſolitæ, in hanc cauſam, præſtentur ſub pœna excommunicationis, contra particulares, & interdicti aduerſus Vniuerſitates.

CAP. VI.

SVnt Eccleſiaſtici, veluti ſignum ad ſagittam poſiti, in quod oculos conijciunt laici. Præcipimus itaq; omnibus in quibuſcunq; ordinibus conſtitutis (præpeditis infirmitate, vel alio impedimento, Foraneo loci cognitis, exceptis) ne deſint prædicationi: at qui negligenter abfuerit, præter ſtrictam rationem Deo reddendam, arbitrio noſtro mulctabitur Hortamur poſtremò omnes fideles, prædicationi, attentè, aſſiduè, ac deuotè, vt aſſiſtant, eoſquè præſertim, qui cæteris nobilitate, aut dignitate antecellunt; ij enim gradu conſpicui debent alijs exemplo prodeſſe.

CAP. VII.

SVggeſtum, quando Concionaturus aſcendit, quiſquis à miſcando abſtineat, ne vnus alteri moleſtiam inferat. Murmur, iurgium, ſiue ſtrepitus, etiam extrà Eccleſiam, ſi auditorium conturbabunt, prorsùs conquieſcant. Mulieres modeſto, decentiq; loco obſeratæ auſcultabunt, vel adminus à maribus ſegregentur, & aduerſus trangreſſores pœnam excommunicationis comminamur. Erunt ideò vigiles Curati, & Foranei, ſub mortalis peccati reatu.

De Blaſphemia, & Blaſphemis.

CAP. I.

IMpietas, & impudentia Blaſphemiæ eò prolapſa eſt, vt vermis homo, creatura Dei, blaſphemandi temeritate prorumpens in Deum ipſum de nobis tantoperè benemerentem, in Sanctiſſimam Virginem Matrem, peccatorũ refug ium, & Sanctos in Cœlo regnantes, inſanit, eoſquè iniuria afficere, non formidat. Quid à brutis ipſis alienius? quę, quamuis innata feritate vigeant, benefactorem, ne dum non offendũt, quinimmò, nec grata ſe oſtendere credunt, niſi defendant, oportunitate cõceſſa, & membris fœrè omnibus fateri conãtur: cumq; lingua id fari natura, non ſinat, ſaltim Benefactoris pedes lambendo

bendo fatentur. Erubeſcant,& confundantur, qui Chriſtiani nomē vſurpant, qui puri eſſe debent omni maledicto, ſicut Apoſtoli voce monemur; Benedicite, & nolite maledicere. O ſæculum infelix? ò ætas omninò lutea? inſurgit, ac furit quiſq; ſi terrenum Principem, amicum, vel famulum iniuria affici audit: ſi Creatorem, & Redemptorem noſtrum, bonorum omnium largitorem, & futuri iudicij aſperrimum, ac ſeueriſſimum Iudicem blaſphemare audit, obmuteſcit, & ridet. Vbi fides? vbi religio? ò ſumma pietas? vſq; quò improperabit inimicus, & irritabit Aduerſarius nomen tuum? exurge, iudica cauſam tuã: memor eſto improperiorũ tuorũ, quę fiunt ab inſipientibus tota die: ne ſuperbia eorum aſcendat ſemper. Mitte Angelum percuſſorem, vt in caſtris Sennacherib, vt eradicet blaſphemantes nomen ſanctum tuum, ſanctiſſimę Virginis Matris tuæ, & omnium Sanctorum de terra viuentium. Lib. Reg. 4. cap. 19.

CAP. II.

ITaq; Sacris Pontificum Decretis, ijs verò præſertim, quæ Leo X. fęlic. recordat. in Lateranenſi Concilio decreuit, inhærentes; hæc mandamus, vt quicumq; ſiuè Clericus, ſiuè Laicus in Deum, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eiuſq; ſanctiſſimam Matrē Mariam, ſemper Virginem, & Sanctos palam, publiceq; linguã, blaſphemando, relaxare præſumpſerit; & qui Imagines, Verbis obſcenis, iniurioſis, ſiue aliquo facto, iniuria affecerit, præter Canonicas, & legales pœnas inflictas, gladio excommunicationis ſauciatus ſit eò ipſo. Cum eo autem, qui non publicè tàm immanè ſcelus cõmiſerit, pro modo culpæ, arbitraria pœna incutiatur, vt metus ſit multorum, ac in foro pœnitentiali taliter tractentur blaſphemi, vt coerçeant linguam eorum.

Conc. Later incipi cum primum, & Pij. v. cõſt. rel. à Quar- sũ. Bul. Verb Blaſph. cap. 2. de maledicis

CAP. III.

AC vt tandem deteſtabile blaſphemiæ ſcelus, quàm diligētiſſimè eradicetur, & exterminetur, omnibus de Diœceſi, & Eccleſiaſticis perſonis primum præcipimus, & mandamus, etiam in virtute sãctę obediētiæ, vt zelo religionis accenſi, ſi quempiam furentem, & inſanientem in blaſphemijs audierint; eum fraterna caritate corripere, nõ diſſimulent, & ſi audierint, fratrem lucrifaciunt, vberrimam à Deo mercedem expectantes. Quòd ſi nouerint, non prodeſſe, vt ſecundum Canonicas ſanctiones, in illum animaduertere valeamus, Nobis ſignificent, Annos decem indulgentiarum à Leone X. conceſſarum lucraturi.

turi. Curari inſuper,& Concionatores in eorum muneribus explicãdis; parentum, in filios; Dominantium in ſubditos; Dominorum in famulos; maiorum in minores, correctionis debitum exagerare,cum indulgentiarum lucro, pro viribus non poſtponant.

De Hæreticis, Magijs, Veneficijs, Incantationibus, Sortilegijs, alijſq; ſuperſtitionibus.

CAP. I.

Iſa. c.4. FVturorum cognitio Deo ſoli conuenit. Scriptum eſt enim annũciate,quæ futura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. Nunc tamẽ eò creuit audaciſſima hominum ſuperbia, vt imitata Diabolum, qui Dei ſublimitatem affectauit,modò ſuperſtitionibus,& Magijs, modò Sortilegijs,aliiſq; diuinationibus,Aſtrologijs, præcantationibus, ligaturis, & medicamentis per vitium verę religioni oppoſitum ſupra naturales vires, ſcientificaſq; cognitiones in præſtigioſis artibus, Leuit. c 49. & fallacijs incautas decipit animas cruore diuino redemptas:& tamen præmonuit Dominus, ne ad magos declinaremus, neque ab Ariolis ſciſcitaremur; quia, præter ipſum Dominum, gaudia falſa diuinant. Ideò prouidi Paſtoris munus expoſcit, rapacium luporum inſultus, procul expelli: quod tunc bonus Paſtor explebit, ſi inſidias à proprijs ouibus, vigilanter depellet.

CAP. II.

PArochis igitur, noſtriſq; Vicarijs foraneis,ac religioſis teſtibus ſynodalibus pręcipimus in tàm peſtiferis morbis aſſiduè, ac attentè vigilare, ne ouile cõtagio corrũpatur: ac ideò, quàm primùm agnoſcẽt in caulis ouium, lupos, ouina pelle contectos, ſiuè contrà Catholicam fidem ſentientes, ſiuè incãtationibus, diuinationibus, Aſtrologicis, magijs, ſortilegijs, pręcationibus, Veneficijs, medicamentis, ligaturis,& ſimilibus operam dantes, dictaq; opera vtentes: Eos item, qui per maleficia ab immundis ſpiritibus, quempiam obſideri faciunt, Nobis, ſiuè noſtro Generali Vicario, nunquam ſignificare poſtponant. Exhortantes, & ſępius commonentes omnes de Parochia, vt ſi quem præfatis peſtilentijs laborantem agnouerint, Nobis ſignificare non erubeſcãt: Quoniam morbis canceroſis ferrum ignitum, per Prelatum medicum corrigentem, eſt adhibendum.

CAP.

Digitized by Google

NEc fruſtrà elaborandum erit quærendo magiſtros mendaces, quos Dominus non erudiuit. Idcirco iudiciariam Aſtrologiam, præter quàm in Agricultura, & Nauigatione, vetuit Sixti X. fœlic. recordat. Conſtitutio, quæ incipit Cœli, & Terræ Creator Deus 1585. Quam innouauit, & ampliauit Sanctiſſimus Vrbanus fæliciter ſedēs ad æternã memoriã die 1. Aprilis 1631. Cõſtitutione ſua, incipiẽte Inexcrutabilis, ad detemptores librorum artis, illoſq; legentes, ac ad alia.

CAP. IV.

ADuerſus autẽ illos, qui à fide apoſtatãdo cũ Dęmone pepigerunt, perſonaſq; veneficijs, maleficijs, & ligaturis lęſerint, ſequuta morte, & cõtra eos, qui fruges, animalia, fructus, matrimonia cũ impotẽtia generãdi, & diuortijs, etiã morte nõ ſequuta, inuiolabiliter ſeruãda erit Greg. XV. fœlic. recordat. Cõſtitutio, quæ incipit Omnipotentis Dei.

CAP. V.

QViuè præſtigioſis artibus, & fallacijs pocula amatoria ad alliciẽdos, & inclinandos pudicos animos ad libidinem, & turpia imbuunt, & procurant, maximè ſi Sacramenta, ſeù Sacramentalia admiſceantur, vel caracteres imaginibus inſcripti, quę tacitam cum Dęmone indicant pactionẽ, ac ad inueſtigandos thæſauros, & furta anulo in cyatho, cribriq; diuinatione, vel aliquo codice cum verbis pſalmorũ, ſacręquè ſcripturæ vtuntur: pariterq; initio cuius vis operis, vel itineris, tempora, dies, & momẽta, auiumq; garritum, ſeù volatum, mugitus, ſiuè grunitus quadrupedum, obſeruant; hominumq; operibus fœlicitatem augurãtur, medicamenta, vncturas, cataplaſma, vel malagma ad morbos corporum, vel animalium expellendos à mulierculis vetulis, ſtrigis, lanarę dictę, accipientes, & dantes, maximè, ſi præcatio admiſceatur; nec non qui in ſabbati ſancti, Aſcentionis Domini, & Sancti Ioannis Baptiſtę diebus, aliquid ſuperſtitioſum egerint, preſenti noſtra ſynodali conſtitutione excommunicantur.

De Exorciſmo.

IVſtè Deus cuncta permittit, per quæ Diabolus per indirectũ maximè torquetur, eiuſq; machinamẽta in ſui gloriam cõuertit, flagellatq; ſuas creaturas in preſenti vita ſpecialiter circa maleficia, Dęmonumq; obſeſſionẽ, pœnas infligendo, ne dum propter aliorũ peccata, ſed propter propria. Ideo idem dixit; Ego Dñs Zelotes viſitãs pe- Exodi 20.

paren-

parentum in filios, vſquè ad tertiam, & quartam generationem. Cum ergo Energumeni, ſiue obſeſſi exorcizandi ſunt, & Dæmo es coniurandi; nemo ſæcularis Præsbyter, neq; Regularis, quamuis honeſtis, bonisq; moribus præditus, munus explicare præſumat, niſi aduertat prius, ficta ſit nè vexatio, ac exorcizandi actiones ſimulatæ exiſtant, vel geſtus illi ab aliqua infirmitate procedant. Quod capiet facilè, ſi de exorcizandi ſtatu, vita, moribuſquè ſe diligenter informet. Nec Exorciſta de ſuis viribus facilè præſumat: quinimmò per diem anteà, oratione, ieiunio, & ſacro Miſſæ ſacrificio ſe muniat: vt fortis, & armatus in prælium exire, inimicumq; conterere poſſit, & nō pauci reperti ſunt, qui carnem macerauerunt, vt in certamine validiores inuenirētur. Exorciſta inſuper vtatur non libris Exorciſmorum apocriphis, ſed probatis, & præſertim Rituali Romano nouiſſimo. Præcaueat à quibus ſcandala oriri poſſunt; non percunctetur curioſa, ne Dęmones mendaciorum patres, ad diuinationem futurorum, & ad reſponſa fallacia, incitentur. Non in priuatis Aedibus, ſed in Oratorijs, & ſacellis exorcizabit, & coniurabit, & coram paucis, & Religioſis Viris. Si fœmina exorcizanda venit, adhibeantur honeſtæ Cognatæ adſummum duæ. Non indecorè manus ſuper illa admoueantur, ſed cum conſpicua honeſtate, ne vituperetur miniſterium noſtrum. Nullus quæſtus permittitur; & tandem, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliaq; arbitrio noſtro taxanda, vetamus exorciſmum expleri, ſine noſtra in ſcriptis venia.

De [illegible]u, & obſeruatione fæſtorum.

CAP. I.

Exodi 20. IPſe Dominus præcepit: memento, vt diem ſabbati ſanctifices. Et ex hoc languidum ſanatum in ſabbato, redarguebant Iudæi dicētes: ſabbatum eſt, nō licèt tibi tollere grabatum tuum; Epiſcopus ideò omne ſtudium, ac exactiſſimam diligētiam in eo ponere debet, vt fœſti dies piè, ſanctéq; ab omnibus obſeruentur, cum ad Dei cultum externum maximè pertineat. Præcauendum eſt magnoperè ne fœſti dies, ad celebrādas ex animo, diuinas, ac Sanctorum laudes inſtituti, & ad præſtandum omnem cultum, cum gratiarum actione pro tot, & tātis acceptis beneficijs; ne ijs ipſis, quiſpiam ad diuinam offenſionem, & animæ ſuæ perniciem, abutatur. Temporis autem taxatio inter cœremonialia computabatur. Ideò cum alijs cæremonijs, cultibusquè Hæbraicis, adueniente veritatis tempore, ſabbatum ſublatum, & à [illegible]iſſimis Apoſtolis, in diem Dominicum mutatum habemus.

CAP.

CAP. II.

MOneant non ſemel Parochi populum, vt frequenter ad Parochias diebus Dominicis ſaltem conueniant, quibus fœſta ſeruanda præmoneant, ſuoſq; doceant, diebus fœſtis ſacro Miſſæ intereſſe teneri: patremq; familias, & Dominos ſuos effectiuè adeſſe procurare: & à ſeruilibus operibus deſiſtendum; quia, vt dierum fœſtorũ deuota, ac religioſa celebratio perficiatur, diuinis tantum officijs, prędicationibus, confeſſionibus, alijſq; pietatis actibus incumbendum; & præſertim à peccatis, & ludis, commeſſationibus, crapulis, ſaltibus, & tripudijs abſtinend m; Et à media nocte ante fœſtum, vſquè ad mediam ſequentem, fœſtos dies præcipimus obſeruari.

CAP. III.

AT ne fideles à pia ſanctificatione fœſtorum occaſione præpediãtur, iura reddi; acta quęcunq; iudicialia conſcribi, ſtrepituſquè iudiciales tractari; contractus celebrari; iuramenta præſtari; aliquid exponi venale; quæcumq; bona, belluis, vel plauſtris, baiulari, & conduci; etiamq; annonarias aduehi: arteſq; mechanicas, quoſlibet labores, & fatications exerceri, vetamus. Apothecas, item officinas, ſiue tabernas ad vendendum, quæ humani victus neceſſitas pręmit (medicinalibus ſemper exceptis) patentes, niſi veſpertinis horis decantatis, tenere non liceat; immò nec reſeratis ianuis, ſed per feneſtellam tantum, id modeſtè fieri permittimus, & ſicut vitioſũ execrandumq; eſt, diebus fœſtis laborare, ita culpa, & peccato, eum, qui ad vitam ſuſtentandam dumtaxat, laborat, carere declaramus; quiuè prohibitoria hęc paruipendere præſumpſerit, actus, contractus, & iuramenta irrita, & irritos ipſo facto agnoſcant, & ex Bulla Pij V. fœl. record. reus erit pœnę, pro modo culpę, arbitrio noſtro, taxandæ, pijſq; operibus erogandę, eumq; in ſubſidium excommunicamus.

CAP. IV.

QVoniam verò experimento edocti ſnmus, Ruſticos, & miſerabiles pauperes, ære alieno grauatos, moleſtijs priuatorum creditorum, etiamq; Gabellarum, collectarum fiſcalium, cęterarumq; vniuerſalium exactionum perterritos, præcepto Miſſæ audiendæ, fœſtis diebus, non ſatisfacere, nec liberè practicari poſſe. Hac itaq, noſtra ſynodali prouiſione exequutiones reales, & perſonales pro enũciatis, &

& alijs ciuilibus cauſis, omninò prohibemus; tranſgreſſoresq́; virga ferrea excommunicationis percutimus.

CAP. V.

ET quia paternam gerimus curam ouium commiſſarum, ne nimis emungendo, cruor eliciatur, ſpeculamur vbiq́; ſemper compati, & quotidiani victus neceſſitatibus opitulari. Piſcatoribus ſi ad honorem Dei feriatis diebus Halecia, ſardę, aliudue piſcium genus appareant, terręq; ſe inclinauerint, reſeruatis maioribus anni ſolēnitatibus, ac perſoluta vetuſtiſſima decima noſtræ Cathedrali debita, illorum captionem indulgemus. Frumenta pariter in molendinis, die antè fœſtum aducta, quæ teri haud potuere, & ea, quæ egeni baiulant, peractis ſacrificijs Miſſarum, diebus fœſtis Sāctiſſimi Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Natiuitatis, Annūciationis, Purificationis, & Aſſumptionis magnæ Dominæ noſtræ Mariæ ſemper Virginis, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum noſtræ fidei Principum Petri, & Pauli, omniumq; Sanctorum; & Sancti titularis loci, ſemper exceptis, teri, aſportariq; permittimus. Iiſdemq; fœſtis diebus in lanienis, beſtias trucidari, ac in fruſtrà ſecari, & inſimul vendi antè ſolis ortum, lanijs indulgendo, permittimus. Orto verò iam ſole, quouſq, Miſſarum ſacrificia, omniaq́; diuina abſoluantur, iidem omninò ceſſabunt: Quiuè audacter aliter fecerit, pœnam librarum ceræ albę elaboratæ decem luet, & in ſubſidium, excommunicabitur.

CAP. VI.

IN Nundinis nūdinalia mercari vetamus, niſi Miſſa ſolēnis celebrata ſit Sancti, cuius nomen, & dies coadunatis populis nundinādi facultatem fecit, nec in Eccleſijs, earumq; atrijs venalia parari volumus, aliter, ſicut flagellis è templo, vendētes & ementes à Domino eiecti ſunt, ita nos excommunicationis gladio eos percutiemus.

CAP. VII.

INſuper enixè, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, omnes, & ſingulos fideles hortamur, vt fœſtis diebus de præcepto, temporibus Aduentus, ſacratiſſimæ Quadrageſimæ, aliorumq; ieiuniorum à ludis publicis, & priuatis abſtineant; Hiſtrionum, & Circulatorum ludicra arceant,

arceant, tripudia, ſaltus, ludos,& Choreas, etiam in nuptijs abijciant, quia Sanctorum celebritates, deuoto, modeſtoq; ſilentio,& contemplationibus, non hiſce actibus ſanctificantur. Nec diebus ipſis Comediæ, Tragediæ, Paſtorales, Repreſentationes, vulgò etiam forze, recitentur, maximè à Nobis non recognitę,& emendatæ, quique obtemperabunt, æternæ remunerationis præmium, expectabunt, qui ſecus excōmunicationi ſubiacebunt.

CAP. VIII.

QVę vero neceſſaria facienda putantur diebus ipſis, ex pietatis, neceſſitatis,& publicè vtilitatis cauſa; ne quieſcant omnes dies fœſti Dei à terra; Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem conſulant;& in repentinis ad Foraneos adeant, qui re perſpecta, neceſſitateq; penſata, gratis licentiam impartiendam iudicabunt. Præfatis tàm Generali Vicario, quàm Foraneis iniungentes, vt circa fœſtorum obſeruantiam inuigilent, illaq; violandi frequentem vſum extirpent. Delinquētes pœnis Canonicis, & ſuperius inflictis c oercendo. Antiquam, & rigoroſā pœnam ducatorum vigintiquinq; contra Foraneos negligentes, oſcitātes, & conniuentes ad fœſtorum violationem, retinentes, ac renouantes. Aduerſus tranſgreſſores, pignora,& executiones recuſare aſſignantes, maximè ſi vis interuenerit, ipſimet Foranei inquirant,& trāſmittant. Quia ne dum pro fœſtorum violatione, ſed tanquā impediētes noſtræ Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, excomunicati denunciabūtur.

Fœſti autem, qui præter Dominicos dies per annum ſeruandi erunt, hac pagina inſcribuntur.

In Menſe Ianuarij.
1 Circuncíſio Domini.
6 Epiphania.

In Menſe Februarij.
2 Purificatio B.V.
24 S.Matthias Apoſt.

In Menſe Martij.
7 S.Thomas de Aquino.
19 S.Ioſeph.
25 Annunciatio B. V.

In Menſe Aprilis.
2 S.Franciſcus de Paula.
25 S.Marcus Euangeliſta.

In Menſe Maij.
1 SS.Philippus,& Iacobus.Apoſt.
3 Inuentio S.Crucis.

In Menſe Iunij.
24 Natiuitas Sancti Ioannis Baptiſtæ.
29 SS.Petrus, & Paulus Apoſt.

In Menſe Iulij.
22 S.Maria Magdalena, vbi adeſt conſuetudo.
25 S. Iacobus Apoſtolus.
26 S. Anna Mater B. V.

In Menſe Auguſti.
10 S.Laurentius Mart.
15 Aſſumptio B.V.
25 S. Bartholomeus Apoſt.

In Menſe Septembris.
8 Natiuitas B. Marię Virg.
21 S. Mattheus Apoſt.
29 Dedicat. S.Michaelis Archan.

In Menſe Octobris.
4 S.Franciſcus Confeſſor.
18 S.Lucas Euangeliſta.
28 SS.Simon, & Iudas Apoſt.

In Menſe Nouembris.
1 Fœſtum omnium Sanctorum.
11 S. Martinus Epiſcopus, & Confeſſor.
30 S.Andreas Apoſt.

In Menſe Decembris.
8 Conceptio B.Virginis.
21 S.Thomas Apoſt.
25 Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti.
26 S.Stephanus Prothomart.
27 S.Ioannes Euangeliſta,
28 SS.Innocentes.
31 S. Silueſter Papa.

PRæter hos fœſtos dies fœſta mobilia omnia erunt ſeruanda, ſanctum ſcilicet Paſcha Dominicę Reſurrectionis, cum duobus ſequētibus; Aſcenſio Domini glorioſa in Cœlum; ſanctum Paſcha Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus, & fœſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in quibus omnibus ante dictis, & ſignatis in cap. finali de ferijs, in noſtra Epiſcopali Curia iudiciarij ſtrepitus conquieſcent.

De Quadrageſima, & obſeruatione Ieiunij.

C A P. I.

IRrepſit ſerpens cunctis animantibus terrę callidior, & venenum mortis, quod gulæ vitium in terris induxit, ſanctæ venit abſtinentiæ medela curandum. Quoſuē primi parentis ad peccandum traxit exemplum, ad emendationem Chriſti exempla reducant. Summæ ideò auctoritatis viri, Ieiunium à Chriſto inſtitutum conſtanter aſſeuerarunt, vel adminus à Sanctiſſimis Apoſtolis initiò militantis Eccleſię, ad exemplum Chriſti, qui quadraginta diebus ieiunans, ieiunium conſecrauit. Iidemq; ſeueriter decreuerunt, Epiſcopum, Præbyterum, Diaconum, vel alium Eccleſiaſticum Quadrageſimā Paſchæ ieiunare nolentem, deponendum. Laicum communione priuandum. Ieiunij

Can. Apoſt. 68.

Ieiunij laudes innũmeras prętermittimus:cùm ſatis ſit inſinuare,quod illud reprimit carnis concupiſcentias, quos venter mero æſtuans, facilè deſpumat; comprimit vitia; mentes ad ſuperna eleuat; virtutes, & præmia elargitur: & peccatores cum fletu, & planctu ad Creatorem conuertit:& tunc præclara erit abſtinentia, ſi qui alimentis abſtinet in corpore, ita à vitijs ieiunet in mente. Quadrageſimalem ergo ieiuniorum obſeruantiã, Saluatoris noſtri ieiunio conſecratã, vt omnes Chriſti fideles alacriter amplectãtur, optamus. Parochi vigilent, vt pręcepta ieiunij omnes obſeruent, & Dominica antè initium ſacratiſſimæ Quadrageſimæ plebẽ moneãt, toto Quadrageſimali tẽpore (Dominicis diebus exceptis)ad ieiunium obſeruandũ obligari,quod tũc Altiſſimo in expiationem placebit,ſi mens ab iniquitatibus reuocetur.Ac nõ ſolùm à carnibus, ouis, lacticinijs abſtinendũ; ſed vnica tantùm comeſtione conceſſa,ientaculo veſpertino non excluſo;quod leue accipere, cõſuetudine ſeruata,licebit. Dominica item ieiuniũ vigiliarum,& quatuor tẽporum præcedente, eadem Populo cõmemorare curabunt; vt ſciant cuncti in celebrandis ieiunijs modum, & normam.

CAP. II.

CVm,vt diximus,non ſolùm corporaliter à cibis abſtinendum,ſed etiam ſpiritualiter à peccatis vitandis,ieiunare teneamur; hortamur omnes,& à Curatis frequẽtius hortari cupimus,vt ad robur,& ad reſiſtendum inſidijs teterrimi hoſtis, Eccleſiaſtica Sacramẽta frequẽtent. Ipſoq; ieiunij tẽpore, patres familias, vt tàm filij, quàm domeſtici familiares ieiunẽt,curare tenẽtur,illis oportuna ſubminiſtrãdo, quibus ieiuniũ expleant, obligãtur; à qua ieiunij lege,infirmi,mercenarij, quotidianis laboribus incũbentes, pregnãtes, ſenio confecti, ætate, & natura imbecilles, mendicitate grauati,& his ſimiles,liberantur.

CAP. III.

MAcellarij in lanienis,caupones in tabernis,vetitos cibos ieiuniorũ ſtatutis tẽporibus venales exponere, ſine noſtra, vel Generalis Vicarij venia,nõ præſumãt. Quòd ſi noſtra fuerit auctoritate permiſsũ,nõ oſtijs reſeratis,ſed portello ſemicluſo, eos vẽdi permittimus.

CAP. IV.

DIebus Quadrageſimalibus, aliorumq; ieiuniorum, nec infirmis vetitos cibos prandere licebit. Præuia tamẽ medici egrę ſalutis atteſtatione, & Curati à nobis, vel Generali Vicario facultate gratis facta,alimentum paſchale, non denegamus, ac ſi neceſſitas vrgeat,per

dies quatuor Curatus indulgeat. Si medicus à loco abſuerit Curato teſtimonium infirmi ſufficiat. Medici verò ſint circumſpecti, gulæ non indulgentes, quia ſi tanti præcepti infideles diſpenſatores erunt, ſeueriſſimam vltionem expectabunt, amaramquè pœnitentiam iniungendam, præcipimus. Quæ, omnibus vt rudibus plana fiant, edictum noſtrum lingua materna confectum, infra imprimendum, ipſimet Curati, tàm Dominica in Quinquageſima, quàm prima Quadrageſimæ inter Miſſarum ſolemnia diuulgent, ſub pœna ſuſpenſionis, ipſo facto, per ſex menſes.

Editto per l'oſſeruanza della Quareſima.

Pietro Magri per la gratia di Dio, & della ſanta Sede Apoſtolica Veſcouo di Policaſtro. Alli ſuoi diletti fratelli, & figli nel Sig. Clero, et Popolo della ſua Diocеſe.

QVella lingua diuina di Paolo Apoſtolo ſcriuendo à Romani loro inſinuò, che quãto ſi trouaua ſcritto, tutto era à loro iſtruttione, acciò per la conſolatione delle ſcritture, haueſſero ſperanza nell'eterna patria. Ecco dilettiſſimi nel Signore, che Chieſa ſanta noſtra ſicura guida, ci deſcriue à punto come poſſano i fedeli metter ſperanza di goder con Chriſtò nella giornata della ſua Reſurrettione, & è ſe i fedeli pigliauano di buon cuore il ſanto digiuno quareſimale, con orationi, & ſupplicheuoli inſtanze del perdono di falli commeſſi contro Dio, di loro ſteſſi, & del proſſimo. Poiche per eſſer eſſauditi, & aiutati, queſto è tẽpo grato, & accetto, queſti ſono giorni di vera ſalute, tutti pieni di doni celeſti, & più celebri della noſtra redentione; & tanto più ſollecitamente douemo eſsercitarci nella diſciplina delle virtù Chriſtiane, quanto i miſterij ſono per la parte loro maggiori, & l'oſſeruanza loro, auuanzino quello, che ordinariamente ſogliono fare. Se dunque ogni ſolennità di tempo ricerca dal Paſtore ſollecitudine, e da Popoli oſſeruanza, peculiarmente lo ricerca il ſagrato tempo Quareſimale, pieno di ſacri miſterij. Noſtro debito è dunque, come Paſtore dell'anime di deſtarui dal ſonno de' peccati; ſendo ſtata promeſſa corona d'eterna felicità à quei, che ſono vigilanti nella ſalute, & auualorarui nelle penitẽze, prefiggendo il modo come ſi poſſa eſſeguire, quãto ci viene impoſto da' ſacri Canoni, & ſacre Conſtitutioni Apoſtoliche circa l'oſſeruanza Quareſimale con queſto noſtro publico Editto.

1. Fù il digiuno Quareſimale cõſecrato da Chriſto noſtro Signore, fù com-

cõmandato dalli Santi Apoſtoli, & ſin da quei tempi Apoſtolici oſſeruato perpetuamente nella Chieſa di Dio, tantoche, quei antichi Chriſtiani ardenti di perfetta carità, prima di cominciare il digiuno ſi preparauano con le Confeſſioni, pigliando le penitenze in tutta la Quareſima, & ogni Domenica ſi communicauano, faceuano quei digiuni cõ aſprezze, e mortificationi, mangiando pane, & beuendo acqua; altri in herbe ſole, e ligumi; altri vſauano cibi ſecchi, & in poca quantità, attẽdeuano à correggere i coſtumi, à deporre gli odij, & inimicitie, reconciliandoſi con tutti, à reprimere la carne, caſtigandola con cilitij, & diſcipline, e ſpeſſe fiate con dormire in terra, à fare oratione, piangẽdo li peccati, à dare dell'elemoſine più larghe, che in altro tempo. Queſti erano gli eſſercitij dell'antica diſciplina Chriſtiana: hora ogn'vno può venire in cognitione quanto ſiano li fedeli al preſente raffreddati, che per modo di dire, con buona parte, biſogna faticare à viua forza, per farli ſtare ſotto il giogo dell'oſſeruanza Quareſimale.

S'auuerte però à tutti, che durante detto tempo Quareſimale, chi ſi ſia non ardiſca di mãgiare carne di qualunque ſorte, oua, latticinij, butiri, & altri cibi vietati, ſe nõ quelli, che ſaranno legitimamente da Noi, ò da' noſtri Miniſtri diſpenſati.

Che ogn'vno coſtituto d'età di 21. anno cõpiti, digiuni ogni giorno della Quareſima, fuor che le Domeniche; ſotto pena di peccato mortale; eccetto però quelli, che ſono eſcuſati di tale obligo, & quelli che per legitima cauſa ſaranno diſpenſati dal Curato.

Si prohibiſce, che non ſi poſſano vendere carni, vcellami, & altre coſe ſimili in luoghi publici, ancorche ſeruiſſero per gl'infermi, mà ſi debbano tenere con modeſtia, & non à viſta di tutto il Popolo, ſotto pena di ſcommunica.

Eſſortando tutti per le viſcere della diuina miſericordia, che laſcino gli odij, rancori, gli ſcandali, che da eſſi naſcono, riconciliandoſi l'vn l'altro; che ſi raffreni, & caſtighi la carne, ſe diano elemoſine à poueri, & particolarmente tutto quello che ſparagna dal mangiare, & così cõgregheranno teſoro celeſte, non ſottopoſto à corrottione, ne à ladri, che lo rubbino; ſentano la Meſſa ogni mattina; quelli che poſſono; aſſiſtano alla predicatione della parola di Dio, nõ per humana curioſità, mà per frutto dell'anime, che ſe ne cibano. Li Padri di famiglia procurino, che tutte le perſone ſottopoſte al loro gouerno, vadino alla predica, il medeſimo faccino li Maſtri di Scola con loro diſcepoli, e così ſe nõ ſi vederà quella eſſattezza dell'antico Chriſtianeſmo, almeno ſi vederà vna pronta volontà nell'oſſeruanza del precetto; e Dio noſtro Signore lo concederà per ſua bontà ſempre fruttuoſo.

De

De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.

CAP. I.

INſtituit Chriſtus Dominus Sacrificium Miſſę in vltima Cœna, quando Panem,& Vinum in Corpus,& Sanguinem ſuum trāſubſtantiauit, illis verbis: Hoc facite in meam cōmemorationem, & tunc Sacerdotes inſtituit. Vtq; munus aliquod eſſet, quod Deo Patri offerre,ac pro varijs beneficijs,& donis, fideles dare potuiſſent. Quia enim varia,quotidiè à Patre Cæleſti dona accipimus, & ex nobis nihil niſi peccata rependimus Chriſto, placuit nobis, hoc ſui corporis relinquere Sacrificium, quod in gratiarum actione pro donis, atq; in ſatiſfactione pro peccatis, viuo, & vero Deo redderemus. Qua de re facillimè quanta ſit Miſſæ Sacrificij vtilitas, quo nimirùm impetratur, & applicatur, quidquid nobis paſſione, ſanguine, & morte ſua Chriſtus acquiſiuit,& ideò, ſicut parenti grande ſit, ſi valdè manè à filio viſitur, & ſalutetur, ità mirificè Chriſto placet, ſi quotidie in ſacro Miſſæ Officio,Deum videas, ſalutes,& adores,ad noſtram non modicam vtilitatē. Nàm ſi in veteri lege aſpectus æneì ſerpentis vulneratis ſanitatem afferebat;& in nouo teſtamento vmbra Petri curabat ægrotos,dubio procul,dùm in Miſſę Sacrificio quotidiè, Deus ipſe deuotè conſpicitur, cùm magnam ad curandos animi morbos vim habeat. Ruminent, & cōtremiſcant Sacerdotes, quàm magnā rem tractaturi ſunt, & accedētes ad Deum ſanctificari debere, ne fortè ſētiant: Ad vos,ò Sacerdotes, qui offertis ſuper Altare meo Panem pollutum. Hac conſideratione ſanctiſſimos quoſq;ob ſummam eius dignitatem,Sacerdotium refugiſſe cognoſcimus; Sanctum Franciſcum ſtygmata Chriſti renouata ferentem,ideò abſtinuiſſe,Angelo lucis vitri pellucidi ampullam liquore clariſſimo plenam oſtendente,ac dicente,Sacerdotis animam illi ſimilem eſſe debere. Vndè ille Sacerdotium refugit,quia tantam animę ſuæ puritatem non putauit. Sanctus Marcus Eremita pollicem recidit,ne Sacerdos eſſet; & Sāctus Ammonius,ne Epiſcopus fieret, aures abſcidit. Celebraturus igitur Sacerdos, conſcientiā primò diſcutiat, illamq;ab omni labe peccatorum emundet. Nam ſi mediator eſt inter Deum, & hominem, liquidò nouimus, ſi ad intercedendum,is,qui diſplicet,mittitur, inimici animus ad deteriora prouocatur; recipiatquè ſe in ſacriſtiam,vbi rei magnitudinem in loco ad hoc præparato, perpēdat, ſeq; totum meditationis ope cōponat,ac omnia præparet opportuna, ne quod negligēter omittit, in Altari poſtea indecēter expectet. Inde lotis manibus, Miſſaq; perlecta, debitis indumentis paratus, nec

deam-

deambulet, neque loquatur; Clericum miniſtrum ſuperpelliceo mundo veſtitum, quem Sacerdos ad hoc ſemper habebit, requirat, & tunc dimiſſis oculis, graui paſſu, ad Altare pergat in pace, & tam in acceſſu, quàm receſſu, nemini caput aperiat, niſi auguſtiſſimo Sacramento.

CAP. II.

SAcerdotem ex vi officij, & muneris, onus intercedendi pro populo ad Deum, & offerendi dona, & ſacrificia pro peccatis proprijs, & externis, accepiſſe retulimus. Vndè alijs in genua ruentibus in ſacrificio Miſſę, ſolus ipſe ſtat, quaſi integritate vitæ fretus, audiat pro alijs metu conſternatis orare, hortante Apoſtolo, vt cum fiducia ad thronum gratiæ adeat, à quo miſericordiam conſequatur. Cum ergò crebrò, imò quotidiè idem cum alijs poſſet, cōuenit etiam, vt quotidiè ſacrificet: cum ſalutare ſit crebriùs memoriam paſſionis Chriſti, renouare; ſalutare erit crebriùs ſacrum facere, in quo quotidianum panem Euchariſtiæ poſtulandum, docuiſſe Chriſtum Dominum habemus. Hac igitur ratione congruenti perpetuam continentiam Sacerdotibus ſeruandam Pontifices mandauerunt. Curati verò vinculo ſtrictiori ligantur ad id, nàm præcepto diuino ipſis mandatum eſt, oues ſuas agnoſcere, & pro his ſacrificium offerre, & tam frequēter, vt muneribus ſatisfaciant. Mandamus ideò Curatis ipſis moraliter, ne medicina cæleſtis, quàm ſemper accipere, & miniſtrare debent, cum indigentia procraſtinetur; cæteriſq; Sacerdotibus Parochiæ noſtræ, vt crebrò crebriùs ſacrificent, munditiamq; corporis, & mentis conſeruent, oneribusq; Miſſarum ſatisfaciant, quorum ſi liberi ſunt Dominicis diebus, fœſtisq; ſolemnioribus ſaltem ſacrum miſſę perſoluant, arbitraria poena, contra inobedientes, infligenda.

cap. 5. ad Hębreos.

cap. 4 ad Hębreos.

Trid. ſeſſ. 23. de refor. cap. 1. & 14.

CAP. III.

PArochi nō oſcitāter, ſed ex munere ouibus ſuis enuclare curabūt, vt dum fœſtis diebus Miſſę interſunt, non ſolū pręſentialiter perſiſtant, ſed mente, & corde ſurſum eleuatis, aperto capite, genibus flexis ambobus, Sacerdotalem benedictionem expectent: nàm præceptū Eccleſiæ de Miſſis audiendis haud implebunt, ſi integro Miſſæ ſacrificio non affuerint: mulieres tàm nuptas, quàm nubiles, ac etiam luctuoſas, ad intereſſendum ſaltem Miſſæ ſacrificio auroræ hora conficiendo, excitent; & hortentur: quas monitas, & in pertinacia perdurātes, Nobis, ſub graui poena, ſignificari mandamus; vt in eas gladium excommunicationis ſtringamus.

CAP.

CAP. IV.

PLures eodem tempore Sacerdotes ad celebrandum, non exibunt; ſed, dato interuallo, Curati, vel Sacriſtæ arbitrio, pro populi commoditate, horis congruis, vnus poſt vnum Miſſas perſoluent, expleta ſemper conuentuali. Miſſę omnes pro viuis, Defunctis, benedictionibus nuptiarum, ac ſolemnitatibus fœſtorum, à Clero communiter in Parochiali explendæ, ab ipſis met Cleri Sacerdotibus, vt tàm oneris, quàm lucri, communis ſit ratio, per turnum celebrentur. Pontifice verò ſolemniter celebrante, vel ſi coram eo Miſſa cantetur, nulli fas ſit in eadem Eccleſia celebrare. Miſſas item Altari, in loco, & die deſignatas, ex quauis diſpoſitione deſcriptas, fideiq; celebrantium commiſſas, citrà infidelitatis peccatum abſq; neceſſaria cauſa à Nobis probanda, alið transferri, & celebrari prorſus vetamus: quia minùs ſatisfaciunt, quàm tenentur. Miſſæ inſuper in libro annuatim conficiendo, connotentur per ſingulos Sacerdotes, & ſpecificè qui vis eorum aperiat pro quo celebrauit, quos libros in ſingulo quadrimeſtri, viſendos ad Nos, Curati tranſmittant, vt à deputatis ad id, laudentur laudandi, & condemnandi condemnentur.

CAP. V.

SAcerdotes matutinali officio (penſum ſeruitutis) non expleto, ſacrum facere, abſq; rationabili cauſa, non attentabũt: aliter in reatũ incident; etiam ex rubrica Miſſalis Romani, typis nouiter excuſſi.

CAP. VI.

AD Sacerdotium de nouo promoti, niſi approbati in ſacris ritibus, & cęremonijs à Nobis, vel noſtro Generali Vicario, ſeù ad id deſignatis, nec planam, nec cantatam Miſſam, ſub pœna ſuſpenſionis eò ipſo, celebrabunt, & ſolutis eleęmoſynis, quas hucuſq; laudabiliter ſoluere conſueuerunt pro ſupellectilibus Sacriſtię ad vſum commnem; ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum reſpectiuè, ijs in Eccleſijs, in quibus laudabilis, & vetuſtiſſima conſuetndo viget: eiſdem Sacerdotibus nouis, ſecluſis ſaltibus, tripudijs, & Choreis ſecularibus, quæ turpiter irrepſerunt, modeſtam menſam inter con Sacerdotes, & coniunctos, mulieribus prorſus reiectis, indulgemus.

CAP. VII.

MIſſas nouas, ſolemniter cantantes, oblationes, quę ad Manus afferuntur, etiam ad Populum in medio Altaris conuerſi, non tamen

men Eccleſiam circum eundo, licitas declaratas eſſe pronunciamus.

CAP. VIII.

PEregrinos, alteriuſq; Diœceſis Presbyteros, abſque noſtro, vel Generalis Vicarij permiſſu à celebratione repelli, precipimus: niſi externæ Diœceſis adeo cogniti Rectoribus Eccleſiarum ſint; & tunc, non vltra dies octo, permittatur eiſdem, pęna arbitraria infligēda in Rectores conniuentes. Curia verò noſtra, tùm gratis celebrandi facultatem faciet, ſi commendatitias litteras proprij Epiſcopi authēticas demonſtrabunt. Nec Sacerdotibus ipſis extraneis in Eccleſijs Regulariū ſacrum facere licebit; ſub pœna arbitraria in Presbyterū celebrantem, & Interdicti in Eccleſiam Regularium decernendi.

CAP. IX.

QVi Altari ſeruit, de Altari viuere ſatis conſonum eſt. Eleemoſynam ergò miſſæ vno caroleno minorē in congruā declaramus; cum neceſſario victui diei, illa minimè correſpondeat.

CAP. X.

SEminator zizanię, quantò actiones ſanctiores fiunt, tantò eas nititur perturbare. Hinc ſępè in ſacrificijs, Sacerdotes iurgantur; & quod deterius eſt Sacerdotalibus indumentis parati, quis eorum prior celebraturus àbibit, quam contentionem prorſus eradicare cenſemus, ſi primò promotus, & præcedentiam per Miſſam cantatam adeptus, pariter cum nouiſſimo ad ſacriſtiam accedet, tūc primò promotus præibit: quòd ſi cōtra nouiſſimè promotus prior accedet, & paratus ſit, etiam primò ſuperueniente, nouiſſimus priori pręferatur, & qui audacter aliud fecerit, carceris pœnam per ſemeſtre luat: & niſi celebrante reuerſo, non aliter paratus exibit, ſub pœna arbitrio noſtro taxanda.

CAP. XI.

IN domeſticis oratorijs, quantumuis decenter ornatis, nemo ſęcularis Sacerdos, tàm Diœceſanus, quàm exterus; neq; quorum vis ordinum, & inſtituti Regularis, abſq; ſanctę Sedis Apoſtolicę permiſſu, à Nobis recognoſcendo, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum eò ipſo, celebrare præſumat. Eamdemq; pœnam in Foraneos noſtros certiorare conniuentes irrogamus.

CAP. XII.

FOeſtis diebus in omnibus ſacris locis,& cappellis,ſacrū peragi ante Miſſam Parochialem, in qua numeroſum Populum ad habēda ſalutaria Parochorum monita, conuenit intereſſe, omnino interdicimus. Sicuti in auroræ hora tantum ad commodum pauperum, & ruſticorum, indulgemus, ac dum Parochialis Miſſa cantatur, in Eccleſia eadem, nemini celebrare licebit; pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum inflicta, per ſex menſes, contra tranſgreſſores.

CAP. XIII.

DOmum Dei decet ſanctitudo. In ea itaq; humilis,quieta,& deuota inter fideles ſit conuerſatio. Riſus immoderatos, ſtrepitus, clamores, vana,fœda, & profana colloquia, deambulationes, & quę diuina impedire,& perturbare poſſunt,pœnitus arcemus,qui verò petulanti animo, hæc,& ſimilia perpetrauerit, pœnas Conſtitutionis ſanctę memoriæ Pij V. incipientis: Cum primum,pręter diuinam indignationem,patietur.

CAP. XIV.

AD ſuccurrendum tàm nuditati, quàm alijs incommoditatibus pauperum, Viduarum verecundię, nobilium egeſtati, brutorumq́, Paſtoribus, & itinerantibus, prouida cura Paſtoris, pœnè in omnibus Parochialibus, diebus fœſtis in auroræ horam, Miſſam pręſcriptam inuenimus. Et quia tepefactis Sacerdotibus, modò incongrua hora ſacrum fiebat, modòq; deſerebatur,iuſſimus,& modò pręcipimus, congrua hora, albeſcente Polo, celebrari: eamq; celebraturus, de fœſtis diebus, de ieiunijs currentis Hebdomadæ,in offertorio Populum moneat, & clara voce pronunciet orationem Dominicam; ſalutationem Angelicam; ſymbolum Apoſtolorum; decem præcepta legis; præcepta Eccleſiæ, eiuſque Sacramenta; Matrimonia connectenda; Edicta noſtra promulganda,& monitiones excommunicationum; ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum per ſex menſes eò ipsò, contrà Sacerdotem hæc præcepta non obſeruantem, & Curatum non obſeruari facientem.

CAP.

CAP. XV.

FEria quinta in Cœna Domini, vnam tantummodò Miſſam, in qua omnes de Clero communicent, celebrandam eſſe, vt ſacra Rituum Congregatio reſcripſit, ità præcipimus obſeruari.

CAP. XVI.

COnfeſſarij ad ſedes Confeſſionales expoſiti, ac qui Cōgregationum ſecularium piam curam gerunt, matutinis horis, preſentes eſſe cenſeantur, & prouidè ſe gerant, vt plebs ſalutaribus Parochi monitis, in Miſſa conuentuali adeſſe poſſit.

CAP. XVII.

SAcram ſupellectilem mundam, & nitidam habendam prudentis religio Sacerdotis, indeſinenter prouideat. Superpelliceà ideò, albæ, & amictus, ſingulis duobus menſibus purificentur: purificatoria purificata, per dies quindecim, & non vltrà, tergendi vſui deſeruiant: Corporalia ſtatim ac albore mutantur, renouentur. Sacerdos quilibet vitreos vrceolos habebit, vinum rubri coloris, per quod alba munda conſpurcantur, vitabit, eoſq; in trulla repoſitos, cum manutergio mundo; vt quando manus lauandæ erunt, non in terram profundat aquam miniſter, ſed in eadem trulla; aliter confuſione reſperſus audiet: maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Et nos, pro pręceptis iam dictis, contrà tranſgreſſores ſuſpenſionis pœnam à celebratione Miſſarum per tres menſes infligemus.

CAP. XVIII.

SIcuti Parochi monita auribus Populus percipere debet, ita cāpanarum ſignis ad diuina officia, & potiſſimū fœſtis diebus ad Miſſas cōuentuales, inuitādus eſt ipſe. Parochorum ideò munus erit, fœſtiuo modo, tribus vicibus, aliquo interuallo diſiūctis, pro Miſſa, cōgrua hora; & in eleuatione Corporis, & Sanguinis Dñi; pro proceſſionibus, & prędicationibus; in aurora, pro auxilio diuino impetrādo; ad meridiē, pro debita gratiarū actione; & in ſolis occaſu, pro ſalutatione Angelica; & circa mediā noctis horā, pro Defunctorū ſuffragijs, per ſacriſtas, vel hebdomadarios, campanas pulſari. Et cōtra deſidioſos, infligimus peccatū mortale: & quādoq; pro modo culpę, pœnā, arbitrio taxandā.

De diſtributione candelarum in fæſto Purificationis B. M. V. cereo Paſchali, vſuq. incenſi in thurificationibus.

CAP. I.

VIm obtinet legis probata conſuetudo; rationi itaq; congruit, vt quantò laudabiles exiſtunt cõſuetudines, tantò firmiores cõſeruẽtur. Diſtributiones ergò benedictarum candelarũ in fœſto Purificationis Virginis ſacratiſſimæ, quibus in Parochialibus fieri conſueuerunt, continuari mandamus, quia conſuetudinis, vſuſquè longæui, non eſt leuis auctoritas: & plerumq; diſcordias pariunt nouitates. Curati itaq; Populum inſtruant, quanta deuotione, & reuerẽtia cereos ſanctificatos accipere debent: quia ſicut hæc luminaria igne viſibili accenſa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda ſancti Spiritus illuſtrata ſplendore vitiorum careant cæcitate: & cereorum vſus in turbinibus, fulgoribus, tonitruis, tẽpeſtuoſis aquis, procellis, nimbris imminentibus, cæteriſquè aduerſis accidentibus, deuotus ſit, ſuppliciter liberatorem exorando, vt à malis liberet: neq; pro Veneficijs, incantationibus, ſortilegijs, cæteriſq. ſuperſtitioſis actibus illis vtantur. Ne turba cum clamoribus, vi, tumultu, & rixa ad diſtributionem irruat. Sacerdos tandem, qui celebraturus eſt Miſſam, pluuiale violacei coloris paratus, aſſiſtentibus hinc indè miniſtris, benedictionem perficiat: qua peracta, Clerus ad accipiendum accedat, bini ſemper, & ſeniores præcedant, mox ſequatur Populus, ſi benè ſit educatus; ſin verò ordinetur proceſſio Cleri, candelis accenſis, & debitis canticis expletis proceſſione, & Miſſa, tunc in forjbus templi conſiſtat Sacerdos, diſtribuatq; exeuntibus modeſtia, & grauitate conſpicuis.

CAP. II.

AVaritia rationem excæcat, vt gratiùs aurũm intueatur, quàm ſolem. Benè ergò prædicata fuit Idolorum ſeruitus, quę nec nominari inter Eccleſiaſticos debet, cum ignominia Sacerdotum ſit, proprijs ſtudere diuitijs. Hinc eſt, quod non ſinè admiratione, & animi liuore pro incenſo in ſacrificijs, thurificandiſq; miniſtris, & Populo ab Altiſſimo acceptãdo in odorem ſuauitatis, vſu alterius fętidę materię ad inſtar incenſi ex arboribus locorum collectę, vidimus Cleros eo vti, Deum illudentes; quod incenſum benedictum accẽdere, & in odorem ſuauitatis accipere, vt ab eo ad nos miſericordia deſcendere

ſcendere poſſit. De cœtero ergò præcipimus, vt procul abſit fœtor ille deſcriptus, & vſu veri incenſi myſtici omnes vtantur, quia Sacerdotum oratio, ſicut virgula fumi incenſi, Summo Deo dirigitur. Qui verò huic præcepto aduerſabitur excommunicationis virga ſciat ſe eſſe percuſſum.

CAP. III.

NOn abſimilis auaritia inter eos viget, qui Paſchale cereum, tanta ſolemnitate benedicendum; ac in honorem Domini conſeruandum ad deſtruendam noctis caliginem: quando illum in honorem diuini numinis, nouum eſſet habendum; cum nauſea, fruſtrũ cerei anni anterioris rebenedicunt. Quam auaritiæ infamiam procul pellendam cenſuimus, ideò annis ſingulis Curatus quilibet in functione nouum cereum prouideat, Eccleſię viribus correſpectiuũ: ita tamen, vt adminus ille pondus librę vnius albę cęrœ ſuſtineat, aptatumq; fulgidiſſimum. Quiuè compertus fuerit pręcepti huius contemptor, arbitrio noſtro plectetur.

De expoſitione Auguſtiſſimi Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, & proceſſionibus in ſolemnitate Corporis Chriſti.

CAP. I.

TRanſiturus Chriſtus Dei filius ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, quod verba hæc innuunt: deſiderio deſideraui hoc Paſcha mãducare vobiſcũ ante quã patiar. Optabat manſuetiſſimus Saluator omnes fideliũ animas per gratiã in ſe ipſum mutari: quia tũc fit ordinata mutatio, ſi nos in ipsũ mutabimur. Quod benè guſtauit Apoſtolus, inquiens: viuo ego, iam nõ ego, viuit verò in me Chriſtus, qui humana carne circũdatus, ſicut pręordinatũ fuerat à Patre, reuerſurus erat ad illũ. Tunc amor igneæ charitatis ſuę in duas diuiſus partes, vim faciebat, vt ad Patrem rediret, & nobiſcũ vſq; ad conſumationẽ ſęculi remaneret, ſicut promiſerat idẽ. Sed quia corpus idem, ad Cœlum aſcẽdere, & nobiſcũ remanere, non poterat, idem etiam improperia, irriſiones, flagra, atrocem mortem in ligno Crucis ſuſtinens; reſurgens ex mortuis, ad Cœlum aſcendens, ſedenſq; ad Patris dexteram, illud idem nobiſcum remanſit, panis, & vini ſpeciebus velatum: &, vt tanti beneficij in Nobis iugis maneret memoria, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ſub ſpeciebus panis, & vini ſumendum fidelibus dereliquit.

Inuentio certè amoris immenſi, quis vnquàm, niſi illa infinita bonitas, æternaq; ſapientia, hæc cogitaret? per crucem,& mortem ad Patrem adire,& per tranſubſtantiationem, apud Nos remanere? quam admiratus Angelicus Doctor verba illa enunciauit; Non eſt alia natio tàm grandis,quę habeat Deos appropinquantes ſibi,ſicut Deus noſter adeſt Nobis. Hanc diuini amoris memoriam piè,deuoteq; recolendam, cum memoria ſuorum mirabilium,& debito teneri cenſemus. Præcipimus ideò in Parochialibus locorum, præter illius feſti ſanctiſſimi Corporis pompoſiſſimam Proceſſionem, per ſingulos octauæ dies, auguſtiſſimum Sacramẽtum ſuper Altare in vaſculo ſerico, reponi,& venerari, horis matutinis, fœſtiuo campanarum pulſu; candelis ad minus ſex fulgentibus; aſſiſtentibusq; Confratribus Sodalitatis ipſius; cantata ſemper Miſſa; per ambitum Eccleſiæ deuotã proceſſionem cum pijs canticis ordinari. Quiuè Curatus tepidus erit, arbitrio noſtro punietur.

CAP. II.

DVobus anni temporibus Dominica prima Aduentus, & Dominica Palmarum à cuiuſuis Parochię Clero, Quadraginta horarum oratio inſtitui ſynodali prouiſione decernitur, cum apparatu decenti, ſolemni proceſſione, & prędicatione (ſi predicatio commodè haberi poſſit) & in fine horæ detur ſignum campanæ. Parochus in pagella ſacriſtiæ affigenda, aſſiſtentiã diſtribuat,& bini Pręsbyteri, vel Clerici grandiores aſſignentur in hora: qui mundo ſuperpelliceo parati, deuoteq; genuflexi, per horam orabunt, circum voluaturq; ordo ad finem orationis. Luminaria fulgentia ceræ albæ, non minus ſex ſint, & ad ſummum decem; lampades non minus tribus, nec plus decem, è cappella ſanctiſſimi Sacramenti ſubminiſtranda; & à ſummo mane, vſque ad ſolis occaſum, publicè venerationi exponatur ſuper Altare Sacratiſſima Hoſtia: & in ſolis occaſu, cum canticis, in Tabernaculo recondatur. diebuſq; ſequentibus, vſquequò quadraginta ſint horę completæ, denuò exponatur. Hæc potiſſimum oratio ad Deum erit fundenda; pro exaltatione ſanctę Matris Eccleſiæ; Hæreſum extirpatione; fœlici Summi Põtificis ſtatu; Principum cõcordia, & pace; ac vt omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta Religione confortare,& conſeruare miſericors Dominus dignetur. Extrà verò ordinatas orationis horas, oratio, ſine Epiſcopali licentia, nullo modo alicubi fiat, etiam in Eccleſijs exemptorum, & Regularium, qui tantum poterunt, non extracto è taberna culo Auguſtiſſimo Sacramento, velo ante cancellatum repoſito, publicam orationem effunedre.

De

De tripartita Sacratiſſimi Roſarij recitatione.

SAlutate Mariam, quę multum laborauit pro vobis, monebat ſuos nouiter in fide renatos, Prædicator veritatis. Hæc erat quędam religioſa, & neceſſaria fidelibus illis, non ſine calumnijs, & ærumnis ſuppeditabat. Si nullius Mariæ Religioſæ mulieris gratitudinem, ni mi ùm debebant reuerēter agnoſcere, quātò magis toto humili cordis affectu, corporis, animæq; puritate, ſacratiſſimæ Virginis Deiparæ præſidium exiſtimandum, recolendum, venerandumq; eſt à Nobis, qui ſumus germina antiquæ fidelitatis? Hæc eſt ſignum, & ſingulare reſpirium eſt peccatorum, patrocinatur cauſas noſtras, diuinæ iracūdię flagella, quæ pro peccatis meremur, auertit; peccatores non abhorret, quia per eos facta eſt Mater Dei: & vbi hæc Mater eſt, ibi Ieſus Iudex dulcis eſt. Hæc pro nobis accedit ad illud aureum reconciliationis humanę Altare non rogans, ſed imperans; Domina, non Ancilla. Singulari ergò deuotione, pietate, humiliq; affectu, aſſiduè à peccatoribus ſalutanda, per quàm vtile, per quàm neceſſariū quiſq; profitetur. Meritò quippè, nam nemo ſaluus fit; nemo liberatur à malis, nemini donum conceditur, neq; miſeretur niſi per eam. Ad ſuum præſidium cum fiducia ſemper confugimus, quia noſtras non deſpicit depræcationes, & à neceſſitatibus, & periculis cunctis, liberabit nos ſemper ter Virgo ſancta, & benedicta. Modus autem confugiendi acceptiſſimus eſt pius, & deuotus vſus recitandi, ad Chori morem, alternatim modulando, ter in hebdomada Pſalterium, ſiue Roſarium. Quia tripartita ſacratiſſimi Roſarij myſteria, Gaudioſa, Doloroſa, & Glorioſa, per quæ Incarnatio, Natiuitas, pœnę paſſionis, acerbiſſima mors, Reſurrectio, & Aſcenſus triumphalis Redemptoris; Sanctiq; Spiritus deſcenſus; mors, reſurrectio, Aſſumptio in Cœlum, coronatio, & confeſſio ipſius met ſacratiſſimę Virginis, pro ſuis famulis intercedentis, recoluntur, & venerantur, & ſicut dies verni, circundabimus eam floribus Roſarum. Præcipimus ideò Curatis, & ijs præſertim Presbyteris, qui piam hanc curam in Parochialibus exercent, vt tribus interpellatis diebus in hebdomadā, hora competenti, datoq; campanæ ſigno, conueniant omnes, accenſis ſuper Altare candelis, Litanias eiuſdem Virginis ſacratiſſimæ, flexis genibus, duo Cantores cantabunt, quibus expletis, vnus confeſſionem præmittat, omnibus correſpondentibus; mox inuocato Deo ad labiā aperiendum, Chorus vnus in quouis myſterio incipiat, alter terminabit, vices mutando: inſinueturq; contemplatio myſterij, & in fine, cum Salue ſalutetur noſtra Regina. Ad Rom cap. 16.

Curatus

Curatus ſi ſuos Præsbyteros, qui alijs normam debent exhibere, pigritantes accedere coniecerit, conſulat Nos, vt ſalutaribus pœnitentijs grauemus eoſdem.

De Indulgentijs Eleẹmoſynarumq; Quæſtuarijs.

CAP. I.

VT theſaurus ille Indulgentiarum indeficiens ſanguine Redemptoris noſtri, & meritis Beatiſſimæ Virginis, cruore martyrum, ſanctorum, & ſanctarum meritis, aliorumq; in Chriſti vnitate viuentium, comparatos, ea, qua decet, ſanctitate, fidelibus diſtribuatur, & elargiatur; eumq; non ad quæſtum, ſed ad animarum ſalutẽ, & pietatem, ſanctæ Sedis Apoſtolicę benignitate, largiri agnoſcant. Iubemus in poſterum, ne ſecularis quiſpiam Clericus, neq; regularis, etiam in Eccleſijs proprijs, Nobis, vel Generali noſtro Vicario inconſultis, vllo modo indulgentias publicare præſumat: ſed antè publicationem, eas Nobis, vel Generali noſtro Vicario pręſentet, vt illis inſpectis, iuxtà ſac. Trid. Concil. Decreta in ſcriptis, & gratis prouidere poſſimus. pœna carceris arbitraria aduerſus noſtræ Iuriſdictioni Epiſcopali ſubiectos contrauenientes; contra Regulares verò Interdicti pœnam comminamus.

CAP. II.

INterdicimus prorſus, ſub pœna carceris, arbitrio noſtro, Quæſtuarijs, ne Eleẹmoſynas in locis totius noſtrę Epiſcopalis Iuriſdictionis abſquè noſtro, vel Generalis noſtri Vicarij permiſſu, & in ſcriptis, colligere valeant. Quiuè Foraneus conniuebit, conſimili pœna plectetur.

CAP. III.

APoſtolicas litteras, ſiue ſub plumbo, ſiuè ſub annulo Piſcatoris noſtra ordinaria auctoritate recognitas, Imagini, vel Altari, cui ſunt pręces fundendæ, vel ad arculas eleẹmoſynarum affigendas vetamus, ne nimia earum affectatio, facilè cadat in perniciem animarum, quæ ampliſſimas opes à diuinis oculariter carpere debent: reponantur tamen illę in loco modeſto, & conſpicuo. Capſulas item

pro

pro Eleemoſynis minutatim colligendis in foribus Templi, vel ante Altare, vbi ad Deum preces fundendæ ſunt, nulli fas ſit collocare, ſinè noſtro, vel Generalis Vicarij permiſſu, gratis concedendo, quo conceſſo, in loco modeſtiori, reponantur.

De Immunitate Eccleſiarum, & reuerentia illis exhibenda.

CAP. I.

SEmper, & vbiq, Eccleſiæ, locauè ſacra, apud omnes gentes, maxima in veneratione fuerunt, ita vt Imperatores, & Reges, armis, & Diademate humiliter depoſitis, & ad Altaria ſacra munera offerẽdi cauſa, accedebant: & temporibus hiſcè noſtris calamitatibus plenis, feces mundi aduerſus Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas (quod dolentes pronunciamus) furunt, & inſaniunt irreuerenter, & hoſtili modo, quapropter plurima priuilegia Eccleſijs conceſſa conſpicimus, inter quę illud præ cæteris particulare omnibus viſum eſt, vt delinquentes ad Eccleſiam, locauè prędicta confugientes, indè abſq; ſacrilegij reatu, & Eccleſiarum immunitatis violatione extrahi, & abduci non poſſint. Quare ſeorſum omnibus alijs auctoritatibus poſitis, huic negotio conferentibus, ſat eſt commemorare ſacros antiquos Canones, iuraq; Cæſarea, & nouiſſimè Bullam Gregorij XIV. Pontificis maximi fęlic. record. Cum aliàs incipientem, quæ pœnas omnes à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs inflictas in ſuo robore reduxit. Qui autem laicos in Eccleſijs, Cæmeterijs, Monaſterijs, Domibus Regularium, alijsq; Eccleſiaſticis locis, Immunitate Eccleſiaſtica munitis capere, ſcienter abducere, extrahere, & carcerare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis eò ipſo ſe nouerint incurriſſe ſanctæ Sedi Apoſtolicę reſeruatæ. Ideoq; nequè à Regularibus, quouis prætextu priuilegiorum, neq; à Secularibus Cõfeſſarijs abſolui, & liberari poterunt, extrahentes; conſulentes, auxilium, fauoremq; præſtantes, atq; detinentes extractos, ac excitantes Iudices laicos, cæteroſq; miniſtros aduerſus Eccleſiaſtica Immunitate munitos, auctoritate noſtra ordinaria excõmunicamus, eorumq; abſolutionem noſtro Iudicio Epiſcopali tantum reſeruamus.

CAP. II.

AT ne Dei domus, quam decet ſanctitudo, in aſylum diuerſorum ſcelerum conuertatur, Eccleſiaſticis omnibus, tàm ſeculari-

 bus

bus, quàm regularibus mandamus, ne quouis prætextu audeant in eorum Eccleſijs recipere, & protegere confugientes, niſi per dies ſex ad plus: quinimmò infrà idem ſpatiũ, eos moneant, quòd indè exeãt: aliàs contra eoſdem remedijs permiſſis vtemur. Qui autem facinoroſorum metu, monere timebunt, ad Nos negotium ſecretè deferãt, vt remedijs efficacioribus vti poſſimus. Parochi, Vicarijq́; Foranei, & Rectores Eccleſiarum, qui nos certiorare diſtulerint, pœna arbitrio noſtro infligenda, plectentur. Regulares verò, qui intra eorum Monaſteria, Bannitos, Exules, Facinoroſos, & contumaces occultare non poſſunt; ſi quiſpiam ad eorum Monaſteria confugerit, pro Eccleſiaſtica immunitate tuenda, Nos conſulant, & certiores diligẽtiſſimè faciant. Confugientes autem, tunc Eccleſiaſtica immunitate gaudebunt, ſi in Eccleſijs ſe reuerenter habebunt. Quòd ſi petulanti poteſtate, inuerecũdè profanos ſtrepitus, & actus nefarios in eis perpetrauerint, locauè ſacra commaculauerint, eos immunitate Eccleſiaſtica protegendos non eſſe, pronunciabimus.

CAP. III.

ONus Rectorum Eccleſiarum erit, perſolutis diuinis, tàm de manè, quàm de ſero, fores illarũ obſeratas eſſe curare, ne tàm hominibus, quàm animalibus turpiter aditus pateant: claues Eccleſiarum, campaniliumq́; præſertim ne immunda, & turpia committãtur, ſemper erunt detinendæ per Sacriſtam, vel per hebdomadariũ: & confugientibus eas prorſus interdicimus. Quiuè cõtra faxerit Clericus, arbitrariam pœnam exoluet, & confugientes excommunicationis gladio percuti poſſunt.

CAP. IV.

VEtuſtiſſimam cõſuetudinem Policaſtrenſis Diœceſis, ne fas ſit poteſtati laicali ingredi Domum Clericorum, ad ſuam exercẽdam laicalem Iuriſdictionem, ſine ſpeciali noſtra, vel Vicarij Generalis licentia, vel ad minus à Foraneis obtinenda, retinentes, laudantes, & approbantes; Statuimus, nulli ſeculari Iudici, Capitaneo, vel Miniſtro, licere, hac cõſuetudine turbata, domos Clericorum introire. Quiuè audacter contra fecerit, Cenſuris à ſacris Canonibus inflictis contra turbantes, & violantes Immunitatem Eccleſiaſticam, plectetur.

CAP.

CAP. V.

AVdaciam eorum, qui ſemitæ diuini timoris obliti, Eccleſiaſticæ libertatis ſepta confringunt, ac temerario auſu in Sacerdotes aliaſuè Eccleſiaſticas perſonas inſurgunt, hac noſtra conſtitutione comprimentes; ſtatuimus, vt quicumq; Presbyteros, aliosq; in ſacris, & minoribus ordinibus cōſtitutos, ac prima Clericali tonſura initiatos, & cōprehenſos in priuilegio Canonis, realibus iniurijs, contumelijsq; afficere prẹſumpſerint, legitimè conuicti, excōmunicati publicè declarentur. Abſolutione (niſi cōgrua præceſſerit ſatisfactio) pœnitus denegata. Eos inſuper, qui quomodocunq; noſtræ Curiæ officiales, Aduocatos, Procuratores, Cancellarios, Curſores, pro quibus ſuffecti ſunt Diaconi ſeluarici in actu executionis mandatorum, iuſtitiamq; petentes in ea, & in Palatio noſtro præſertim offedunt, eò ipſo excommunicationis mucrone ferimus.

CAP. VI.

NE bona ab Eccleſiaſticis perſonis emantur, ſeu ne vendantur eiſdem vetantes; ſiuè, vt à vendentibus Clerici cariùs emant, datium, gabellam, vel pedagium exigere, non erubeſcentes, omniaq; alia per indirectum perpetrantes, ad impediendum, & fraudandum Eccleſiaſticam libertatem, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

CAP. VII.

SEculares Iudices, cæteriq; Miniſtri laicalis Iuriſdictionis, contra omnes perſonas Eccleſiaſticas, vel ſeruitio Eccleſiarum addictas, abſquè Noſtra, vel Generalis Vicarij facultate, ſcienter proceſſum fabricantes, citantes, capientes, ac detinentes, eò ipſo ſe nouerint excōmunicationis ſententiam incurriſſe. Locus autem in quo perſona Eccleſiaſtica, per ſeculares Iudices detinetur, detentione durante, Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, pœnis à ſacris Canonibus inflictis circa prædicta in ſuo robore permanſuris, quarum abſolutiones iuxtà Canonicas ſanctiones reſeruatæ cenſeantur.

CAP. VIII.

ET quoniam in Immunitatibus plurimùm obtinet, & vim habet conſuetudo, in locis noſtræ Diœceſis vetuſtiſſimè practicare,

Clerici abſq; obſignata à Curatis pagella, vt fraus,& ſuſpicio tollantur; ac cuilibet ſua debita portio ſubminiſtretur, triticum nunquam molere; hanc eamdem rationabilem conſuetudinem approbamus,& confirmamus.

CAP. IX.

Lib.2.Paralip. c.7. Cap. Decet de immunit.Ec. cl.num.6. Bulla Pij. V. cum promul.§ vt igitur.

QVam metuendus, & terribilis ſit Eccleſiæ locus, cum non ſit aliud niſi Domus Dei, ipſe Dominus Salomoni aperuit, hiſce verbis: oculi mei aperti, & aures meæ erectæ erunt ad orationem eius, qui orauerit in iſto loco, quia elegi, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit ibi nomen meum in ſempiternum, & vbi eſt peccatorum venia poſtulanda, ibi peccandi vitetur occaſio. Sit itaq; in Eccleſijs humilis, & deuotus ingreſſus, quieta, & pacifica conuerſatio, & genibus flexis continuata oratio: ſtrepitus, cõcitationes, omneſq; nefarij actus, ac deambulationes eijciantur, & abnegentur omninò, & à ſacris altaribus omni corporis parte remoti. In Choro dum diuina peraguntur, nefas ſit cuicumq; ſeculari locum ſibi vendicare, niſi qui Choro præeſt conſiderate permiſerit, modo ſciat vetari à Nobis laicos Clericis permiſceri. Quando mares, vel mulieres confeſſuræ erunt, in ſcamnis, & non in ſellis, conſedere permittimus, & diſiunctim, niſi Poteſtatibus aliud conſuetudo dederit. In ſacris Communionibus, mares mulieribus præcedere, ſicut aſſeruatum eſt, ſic ſemper continuandum præcipimus, humili, & deuoto, tàm interno, quàm externo affectu, non turmatim, ſed præſcripto modo à Curato, & ſic confuſiones, ſtrepitus, & irreuerentiæ radicitus tollentur.

CAP. X.

HOmo ſanctificat locum; hac de cauſa Imperatores, & Reges ad Eccleſias, & loca ſacra introgredientes propter reuerentiam arma deponebant. Maiori itaq; ratione, exemplar retinendum eſt ab hominibus. Monemus ergò quoſuis homines ad Eccleſias totius noſtræ Diœceſis ingredientes, ad deponendum arma extra illas, præſertim quo tempore Altiſſimo diuina perſoluuntur. Qui verò audacter, aliud actentare pręſumpſerint, oretenus, & vrbaniùs, præmiſſa aliâ Parochi, vel Rectoris verbali monitione, ad quam debitorem facimus, cum reatu mortalis peccati, contra eoſdem armigeros inobedientes, excommunicationis ſententiam fulminamus.

CAP.

CAP. XI.

AB Eccleſijs, lociſuè ſacris, & Religioſis, procul abſint publica ciuium parlamenta, ſeculares quælibet actiones, iudiciariæq; poteſtates: ne flagellentur terga noſtra flagellis. Parochi ſi ſecus conſpexerint, moneant, cum pœna excommunicationis eò ipſo, vt præſenti Conſtitutione Nos paternè monemus, & tranſgreſſores mucrone excommunicationis ferimus: ſi tamen illi neglexerint conniuendo, carceris pœna per bimeſtre plectentur.

CAP. XII.

ALtaria,& alia noui operis in Eccleſijs,Cappellis, pijſuè locis minimè conſtruantur, nobis inconſultis; neq; introrſum fruges lignamina, inſtrumenta, vaſa, Dolia, Cupæ, cæteraq; vaſa, fænum, ligones, aratra, ruta, cæſa, tàm vulgaria, quàm prætioſa,& quæcumq; ſuppellectilia, ſiuè mobilia reponantur: hinc enim rebus repoſitis, potiùs granaria, & officinæ, quàm Dei domus conſpiciuntur. Quiuè ea irreuerenter depoſuerit amiſſionis illorum pœnam habebit. Tabernæ, Macellariorum, Piſtorum, officinæ, lupanaria, domusq; meretricales,& quæ conturbant diuina, honeſtatemq; fidelium ab ambitu,& muris Eccleſiarum eliminentur. Lignorum, lapidum, calcis, arenę,tignorum,aliarumuè rerum coaceruatio in plateis cuiuſq; Eccleſiæ, ſtatim tollantur: neuè congregentur, Rectores reſiſtant. Vrinæ, ſordes, & fætida inquinamenta propellantur, ſicuti omnia quæ muris inhærent, eiſq; officiunt; excommunicationis pœna comminata, contra reponentes, & inquinantes, ac arbitraria in Rectores non reſiſtentes.

CAP. XIII.

MVris Eccleſiarum, piorumq; locorum, nihil ædificari, & imponi poſſe, ſed vndequaq; ſemper liberi à domibus prophanis, à quibus, nequè proſpectiuæ feneſtræ, quæ in Templo proſpectum habent aperiri, vel nouiter ædificari poſſunt. Circa muros Eccleſiaſticos cantus prophanos, & ludos quoſcumquè tectis officientes fieri vetamus; contrà rebelles pœna excommunicationis adiecta.

CAP.

CAP. XIV.

IConæ, & campanæ nouiter factæ, antequam collocentur, benedicantur; & funes illarum è Turri campanaria foris numquam dependeant; Pulſus verò earum pro malefactoribus,& bannitis perſequendis,& capiendis, & quibus vis popularibus actionibus explendis, ab Eccleſiaſticis fieri, vel concedi vetamus; pœna arbitraria contra tranſgreſſores inflicta.

SESSIO II. HABITA DIE XXX. IVNII.

De publicis Proceſſionibus.

CAP. I.

ANtiquus orandi modus, quo in Proceſſionibus Clerus, & Populus Deum precatur, exiſtit, in quibus Crucis Chriſti Vexillum ſemper præcedit; Chriſtianorum exercitus, ex Clero, & Populo, vt caſtrorum acies ordinata proſequitur. Clerus, vt eſt Deo coniunctior pręcedit, vt potè per quẽ ad alios, ſpiritualia bona deriuãtur, & ita debet ſanctitatis vita cæteris prelucere. In hoc ordine iuniores ſequuntur; quia officiũ ſuperiorũ in Eccleſia, non in externo honore; ſed in labore, & miniſterio conſiſtit, ęterna veritate, illis verbis indi-
Luc.c.22. cante: Qui voluerit maior fieri, ſit miniſter. Poſt Clerum, & Præſulem ſecularis magiſtratus ſubſequitur, tanquã Eccleſię, ſacrarumq; rerum defenſor, qui, coniunctus cum ordine Eccleſiaſtico, fidem propugnat, Eccleſiæq; Paſtores iuuat, atque in omnibus rebus Dei honorem, & gloriam quęrit: omneſq; ciues præcedit, vt ſicut dignitate, ita moribus, vitaq; perluceat. Mox Populus deuotus accedit, proteſtaturq; Chriſtum Dominum Crucifixum ſequi, ad omnem ipſius voluntatem paratus. Celebramus per Proceſſiones, memoriam diuerſarum Proceſſionum Chriſti pro humana ſalute ſuſceptarum. Quando in die Palmarum in Hieroſolymitanam Ciuitatem, maxima pompa fuit inuectus; item quãdo in horto Iudæ oſculo traditus, turba multa cum gladijs, fuſtibus, lignis,& lanternis manus iniecit, apprehendit, tenuit; ad Annam, in coſpectu cuius alapa percutitur; demum ad Priucipem Sacerdotum Caipham, ſputis facie deturpatur,& ex illo ad Pontium Pilatum Pręſidem, iuſſu cuius in Prętorio crudeliter flagellatus, illuſus, & Populo demonſtratus, irruentibus

tibus clamoribus Hębreorum, ad mortem Crucis damnatur, & per milites ad Caluarium ductus, ibiquè crucifixus. Hac de cauſa pia Mater Eccleſia, quantò Redemptoris corpus opprobrijs, & crudelitatibus abũdauit, tantò honorificentius recolit illud ſacratiſſimum, ſub ſpecie panis, ab ipſo trãſubſtantiatum, nobiſq; memoriale, & futurę gloriæ pignus derelictum. At ſicut tunc blaſphemias, ſibila, irriſiones, & tormenta ſuſtinuit, ita modo honorificentiſſimis ſupplicationibus, ſummiſq; laudibus honoratur, & colitur, & quotannis peculiari quodam, & fœſto die præcelſum hoc venerabile Sacramentum, ſingulari veneratione, & ſolemnitate celebratur, ſtatuto tẽpore, poſt Octauam Pentecoſtes feria quinta, qua nocte Dominus Ieſus Cœnam fecit, & inſtituit: Romana Eccleſia celebrari ſanciuit; & Confraternitates ad cultum ipſius ſacratiſſimi Corporis Chriſti, potiſſimum erexit, ijs præcipuè diebus, frequentia, intorcijs, cereis, luminibus, thuribulis, cum myſticis aromatibus, aliјſq; pijs ornamẽtis apparentibus, vt ſolemniſſimam ſolemnitatem decorare peruigilent, & antequam Proceſſio inchoetur Curatus, & Magiſtratus duobus ante diebus admoneãt, vias, & vicos ab inhabitantibus mundari, abſtergiq; ramis virentibus exornari, frondibus, & floribus in ſignũ vniuerſalis lætitiæ conſpergi. Parochus quantum fieri poterit Eccleſiam ſuam apparatu, & luminaribus, ſummi Dei triumphantis dignum, in quod recipitur domicilium, reddere conetur. Laicos Clericis permixtos, mulieres hominibus confuſas, indecorum ſatis eſt tolerari; quod prohibemus omninò, ſub anathematis pœna. Vnuſquiſquè enim, ſuo ordine, & loco contentus, honeſtiùs a get, & tàm procedendo, quàm redeundo ad Omnipotẽtis Dei honorem, & gloriam. Et, vt mentes fidelium ſpirituali gaudio affectæ ad laudandũ, & venerandum excitentur, campanæ Eccleſię, quæ lætitię, & honoris ſigna ſunt, harmonico, & dulci ſono pulſentur.

CAP. II.

EX prænarratis quanta ſit reuerentia in ſupplicationibus procedendum, facile intueri poteſt. Sine fabulis, curioſitate, vanitate, & ſinè mentis oculorum euagatione; immò animo collecto, & ad Deum eleuato, pro neceſſitatibus, & calamitatibus prementibus, vt illis liberemur orando, ac pro peccatoribus, qui obcæcati malitia, iram Dei non ceſſant prouocare. E medio itaq; tollendæ ſunt omnes Laicorum ambitiones, à quibus perturbationes, & ſcandala orta fuere, quę non ſine graui, & ſingulari prudentia, ea niſus fuit erudicare

care

care bonę memoriæ Prædeceſſor noſter, qui ſub anathema tis pœna haſtas vmbellę, ſeu Palij, generatim à laicis aſportari prohibuit, cui rerum efficax magiſtra experientia fuit: ſiquidem ne dum vulneratus ex hac contentione, verum necatus aliquis remanſit; quam pœnam penſatis penſandis, approbamus, & confirmamus, quoad omnes laicos, Baronibus, Capitaneis Iuſtitię locorum, Syndicis, Electis, qui in gubernio loci præſunt, exceptis, cum illorum obſequio Eccleſia nimis decoretur: & præter eos, nullus laicorum præſumat haſtas accipere; quæ haſtæ ſemper à Presbyteris ſenioribus, mundiſſimis ſuperpelliceis paratis (deficientibus, quibus conceſsũ eſt, aſportare) aſportentur, & vbi Clerus numeroſus deficit, Clerici grãdiores, ſimiliter mundis coctis parati, arbitrio, & iuſſu, Curati ad munus explicandum, ſubrogentur.

CAP. III.

Caueant prorsùs Eccleſiaſtici, proceſſionibus intereſſentes, ne Clericali bireto, ſuperpelliceo mundo, & talaribus veſtibus careant, pileis, pallijſq; coctis ſuper impoſitis, nequaquam vtantur: niſi in via poſitis pluuia ſuperueniat; nec proceſſiones intermittendo, tàm ipſi, quàm Regulares, & laicorum ſodalitates, quouſquè ad Eccleſiam, à qua exierunt, reuertantur, benedictionemquè à Superiore ſuſceperint deſerant. Omnes bini, grauiter, modeſtè, rectèq; compoſiti, vt exemplo ſint Populo, & Deo maximè cari, procedent. Et vt omnia bene ordinata dirigantur, & obſeruentur, Foraneus loci, ordinem inſtituat, locum, & præcedentiam, vnicuiq; partiendo; iurgia, & impedimenta cuncta ſubmoueat: & quæ coercenda ſunt, Nobis quamprimum referre curabit; vt contrà tranſgreſſores arbitrio noſtro pœnam imponamus.

CAP. XIV.

Proceſſiones tàm Generales, quàm ex cauſa indicendæ, celebrẽtur de mane ſemper, Miſſa conuentuali abſoluta, vt populus frequentiori cętu conueniat, & inſectetur. Alia ſuè proceſſiones pręter ordinatas à Ritu Romano, pro quauis pia, vtili, & publica cauſa, Nobis, vel Generali noſtro Vicario, inconſultis, nemini, etiam Regularibus exemptis, fas ſit conuocare, ordinare, & dirigere, pœna interdicti Eccleſiaſtici, comminata, contrà exemptos ipſos Regulares, & arbitraria in noſtræ Iuriſdictioni ſubiectos. Non intendimus

per

per hęc, Proceſſionibus, quas Sodalitates laicorũ, ſaccis veſtitorum, ex antiqua deuotione, vel Clerus in ſolemnitate Sancti Titularis, ſiuè Patroni, cuiuſuis Parochiæ, celebrare conſueuerunt, derogare, imò eas retinendas, & perpetuandas laudamus.

CAP. V.

QVando verò Proceſſiones Generales indicendæ, vel celebrandæ erunt, per diem ante, loci Foraneus Eccleſiaſticos, Regulares exemptos, Sodalitatesq; laicorum, ſtata hora cõueniendi, citatorijs literis intimabit: & tunc ſi Regulares accedere renuerint, eorũ Eccleſiam, Eccleſiaſtico Interdicto ſupponemus, noſtroſq; ſubiectos arbitrio noſtro, plectemus, & ex laicorum Cõfraternitatibus, quę abfuerit, libras ceræ albæ elaboratæ triginta perſoluat.

CAP. VI.

HAec tandem Curatis iniungenda oportere, cenſuimus, quæ ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ cultum, perpetuò cõſpicienda erũt; vt in ſingulis vniuſcuiuſq; mẽſis tertijs Dominicis intrà Eccleſię ambitum, deuota, poſt Miſſam Conuentualem circumuoluatur proceſſio, vt populus mundanis laboribus defaticatus, ſpiritualiter illius veneratione reficiatur. Et quando in viaticũ ad infirmos fertur, maiori, qua poſſit decentia, turba perſonarum, & plurimis facculis non minus duodecim aſſocietur, & ruminent pro ſe ipſis, & alijs, viſitationes ſuæ gratię, ſicut colimus repartiri.

De Horis Canonicis, & Quotidianis distributionibus.

CAP. I.

SI ſingulis quibusq; actibus ſunt propria loca ſignata, vt forum iurgantibus, & iudicibus; ſenatus Conſiliarijs: litteris exercendis ſcholæ; decet etiam quemlibet in ſacris conſtitutum horas canonicas reddere in Eccleſia, Propheta id perhibente: in Eccleſijs benedicite Deo Domino. Vnde Chriſtus templum, quod Dominus ædificari ſibi pręcepit in Hieroſolymis, Domum orationis vocauit. Hoc etiam ex animo petebat in Cythara Dauid: vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitę meæ. Ibidem animus ad deuotionem magis excitatur, propter ſolitudinem, & quietem: alibi rarò, aut nunquam habet ſuam congruentem honeſtatem, quàm res, pro ſua dignitate depoſcit.

Affligimur non ſemel, haud poſſe in Choro pſallendo diuinas horas perſoluere, nec in noſtra Cathedrali, munia paſtoralia exercere, prę uaſtatione, diſſipatione, & deſolatione Ciuitatis, ſolius iudicio Altiſſimi reſeruata. Vndè ad locum Turris reiecti, maiori, qua poſſumus, decentia, functiones explemus. In locis totius Diœceſis, Collegiatas Eccleſias, minus reperiri ex illius perluſtratione cognouimus, omnes Parochiales receptiuas, & ex eis plurimæ ſunt inſignes numero animarum, & perſonarũ. Eis addicti, quamuis eorũ redditus in omnibus, nedum tenues, ſed miſerabiles inſpiciantur; attamen inſpirante ſummi n. minis claritate, ad Collegiatarum inſtar, & Paſtores vigiles, & in diuinam ſortem vocati, mutua cōcordia per longos annos, pſallendi in Choro, diuinas laudes, non tamen diſtinctis horis, introduxerunt. Factum laudauimus; ideoq; ab inſurgentibus incōmoditatibus, & tenuiſſimis lucris, omni dexteritate, & facilitate muniuimus; & modò circà prefata, has leges damus; arbitrariam pœnam in reſiſtentes comminando, nemini remittendam.

Clem. 1. de celeb. Miſſ.

CAP. II.

Reminiſcantur Presbyteri, alijq; in ſacris cōſtituti, qui in ſortem Domini ſunt vocati, in ſuſtentationem quidquid modicum recipiunt, eſſe patrimonium Ieſu Chriſti, quod taliter negotiandum eſt, vt in Aduentu, potius æternam gloriam, quàm flammam reddēdam eſſe expectent. Vbi in prælibatis Eccleſijs octo participantes erunt, in duas partiantur hebdomadas: caput primæ Curatus, ſecundæ vero Cantor, ſi ſit honorarius caput faciat. Vbi autem Clerus ad decē, & octo pertingit in tres partiantur hebdomadas: & ne Chorus Rectore careat; in tertia hebdomada antiquiorē Presbyterum præfectũ deputamus. Modũ autē ab eis haud deferendũ, nũc præſcribimus. Dato ſigno cāpanæ matutinalis, quarta horę decurſa, vt cōueniant, matutinales horę inſimul: Veſpertinæ tamē laudes ſua cōgrua hora relictæ, nō ſincopādo, non tranſcurrēdo, ſed reuerēter, deuotè, attentè, & humiliter perſoluãtur, & talis oratio, cœlos penetrabit: quia quod verſatur in ore, hoc verſatur in corde. Diebus fœſtis, ſi omnes conuenirent, honorabilius eſſet, & vt quiſq; habeat ſua ſtipendia meritorũ, per vota ſecreta, ſingulis annis, Dominica vltima menſis Auguſti, in Choro, vel in Sacriſtia, coram Foraneo noſtro coadunati, vnum prò hebdomada eligant pũctatorem. Puncta aduerſus ſeruitio Chori abſentes, impingantur, & in diuiſione, quod abſentibus per vices deeſt, prēſētibus, inſeruientibuſq; accreſcat, & ſi abſentia ex deſpectu proueniat,

1. Eccleſiaſticus 35.

ueniat, arbitrio noſtro corrigetur. In quibus Eccleſijs numerus bipartiri, aut tripartiri non poſſit, ſat erit diebus fœſtis, diuina perſoluere, & qui in eis diebus ſingulis, priuatè laudes diuinas exoluet, mentis, & animi quietem, pacem, & tranquillitatem, quæ oranti per neceſſaria ſunt, facilius inueniet. Expletis matutinis, & horarũ laudibus, dato prius ſigno campanæ, pro vt dies exigit, Miſſa conuentualis, diebus ferialibus de plano, fœſtiuis, non ſine cantu ſaltem Gregoriano, celebretur.

CAP. III.

CAueant cũncti, ne in Choro incompoſiti ſedeant, vel ſtent: incompoſitio enim corporis, mentis incompoſitionem declarat; externa quidem, & plerumq; vana, & inhoneſta, nec intermiſceãt colloquia. Celeriter ad Chorum conueniant, & abſq; rationabili cauſa, ante finem officij, ſeù conuentualis Miſſę, non exibunt. Cauſa verò rationabilis auribus Præfecti modeſtè inſinuanda erit, & ab eodem probãda: quiuè illicentiatus diſceſſerit, ducati vnius pœnam perſoluat, quàm applicamus ex nunc Sacriſtiæ neceſſitatibus. Sint in ſilẽtio diſcreti; nàm quis minor eſt vmquam, quàm tacuiſſe labor? & compeſcant deambulationes, & diſcurſus, riſus, oſcitationes, & quæ ſcandalum faciunt, tùm in Choro, tùm extrà per Eccleſiam: & gratũ facerent diuinæ, humanęq, inſpectioni, ſi qui cõueniunt inſimul ſuperpelliceis parati, è Sacriſtia remeabũt ad Chorum, in quo pro vſu communi, adſint, prę ter Gregoriani cantus libros, Breuiariũ magnũ, Martyrologiũ, cum lucubrationibus Eminentiſſimi Baronij bo. me. & Ordinarium Romanũ perpetuum nouiter typis excuſſum. Chori Pręfectus, diſtribuat lectiones, reſponſoria, martyrologium, & antiphonas: duobus iunioribus in conſpectu Breuiarij aſſiſtentibus.

CAP. IV.

PVnctatores initiò anni iurabunt in manibus Foranei loci, nemini etiam conniuendo, circa puncta parcere poſſe, ſi aliqua rationabili de cauſa, aliquando intereſſe, non poſſunt fideles ſubrogabũt, eorum ſemper conſcientiam onerantes, & loci Foraneus ſuperintẽdens obſeruet, &, quæ correctione, & moderatione indigere proſpexerit, Nos conſulere, non poſtponat. Puncta verò contrà abſentes ter fiant; In officio diuino ad Nonam incluſiuè, in Miſſa cõuentuali & in horis Veſpertinis, & quidquid damni intulerunt abſentes vſquè modò, inferant in futurum.

Digitized by Google

CAP. V.

PRo diſtributionibus quotidianis, diſtribuendis intereſſentibus, tertia pars vniuerſorum fructuum, vſquemodo ſegregata, eamdem ſegregari in futurum mandamus, quas tunc æqua lance, pręſens lucrabitur, ſi Choro præſens onus labiorum perſoluet; Abſenti verò nullatenus cõcedi poſſunt, etiam ſi ſpõtè, & vltrò cõcedantur, ideò cõdonationes, remiſſiones, largitionesq; nullas declaramus. Et qui ſic receperunt fructus non faciunt ſuos; reſtitutioniq; eos obnoxios remanere.

CAP. VI.

PVncta contrà abſentes inſigantur in officio ad Benedictus; in Miſſa, in cantu præfatij, & in Veſpertinis horis, ad Magnificat.

CAP. VII.

COnſuetudinem Cathedralis noſtræ ab Eminẽtiſſimo Philippo Cardinali Spinello Epiſcopo introductam, & à prædeceſſoribus commendatam, vt ſi Subdiaconus coopretur in Canonicum, tùm maſſæ cõmunis, tùm portionis quotidianarum diſtributionum, dimidia parte gaudeat; ſi Diaconus integra maſſæ cõmunis, dimidia diſtributionum; ſi Sacerdos vtrorumq; integra, modò realiter reſideãt, laudamus, retinemus, & confirmamus.

De Sacramentis in genere.

IN carnali vita, quis mortalis, tàm firmas habeat vires, vt aliquando, non infirmetur? & infirmitatis viribus non cadat? illiq; paranda ſunt pharmaca, potuſq; medicinales? ſic in vita ſpirituali, cum homo non ſit, qui non peccet, & ſepties cadat iuſtus in die, non è medio terreno, ſed cæleſti, qui magnus venit, vt magnum in terra ſanaret ægrotum. Septem antidota medicinalia præparantur, quibus in ſpirituali vita, ſepties renaſcantur. Septem itaquè Eccleſiæ Sacramenta vera pharmaca ſalutis æternę, aromatariorum induſtria, non confecta, ſed ex aperto Chriſti latere profluxerunt, æternæq; vitæ ianuam, Chriſti lateris apertio, reſerauit, illaq; eſt noſtrum refugium, illic enim, & non alibi, tanquam cauerna maceriæ protegemur: ex illo latere Eccleſia formata fuit, & eodem ſanguis, & vnda manauit, magnumq; myſterium effluxus pręfigurauit: ſanguine enim redempti, & aqua abluti ſumus: ideoq; nec ſolus ſanguis, nec aqua ſola manauit. Vndè ex Chriſti morte redemptionem, & ablutionem habuimus, & cuius virtute omnes mortui reuiuiſcunt. Vulnere quid iſto ſalu-

ſalubrius? quid ſanguine ipſo prætioſius? quid aqua iſta mundius? de his igitur remedijs, miſericorditer humanæ naturæ tributis, quæ ſeptenario numero continetur, quomodo debeant inter oues commiſſas, diuinoq; cruore redemptas miniſtrari, aliqua neceſſaria prænotanda dicemus.

De Baptiſmi Sacramento.

CAP. I.

VIta qua viuimus ſemel naſcitur homo: & in ſpirituali ſemel per Baptiſmum renaſcitur; ex eoq; habet ingreſſum ad vitam ęternam, ore Redemptoris firmatum: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Ianua hominis in hanc vitam generatio eſt: regenerationis autem Baptiſmus eſt omnium Sacramentorum ianua, cuius, qui domus prętermittit ingreſſum fur appellatur, & latro: nec nomen familiaritatis attingit. Curet itaq; Parochus quiſquè à lethali culpa, mundas habere manus, ſicut decet, ſathanam expellentem, ſuoſquè monere, vt natis infantulis ad lauacrum regenerationis adducant, nec ab ipſorum natiuitate prolixiori tempore, quàm dies octo differant baptizare, ne morte præuenti beneficium regenerationis amittant. Hortetur inſuper Baptizandis, nomina Sanctorum, & Sanctarum imponi, vt pręter ſanctum Angelum, cuilibet ad cuſtodiam miſſum, Sancti etiam proprij nominis protectionem acquirant.

CAP. II.

CVm cõgruam materiam, intentionẽ, ac formam Sacramentorũ miniſtri rectè, aperteq; expreſſam, callere teneantur laborioſè cuiuſcumq; Sacramẽti, miniſterij formas addiſcant, eaſq; incorrutpte, nõ ſincopãdo, nec vitiando, pronũcient, formamq; Baptiſmatis, non ſemel, ſed iteratis vicibus ab obſtetricibus audiant, eaſq; ſuper intentione, materia debita, ac forma illius Sacramenti neceſſitatis, interrogent, & ſi eaſdem, bonum ſenſum miniſterij non poſſidere, nec rectè pronunciare compererint, quouſquè inſtructę, oportunam peritiam indicauerint percepiſſe, à miniſterio expellant.

CAP. III.

PRincipales artifices miniſterij Sacramentorum Parochi ſunt: omnes verò Presbyteri manuales operarij in adiutorium aſſumuntur, & pro modo conditionis eorum deputantur à Nobis. Illi verò, vt poſſint de negotio lucrum in alia quinquè talenta, exhi-

exhibere, præbeant ſe, faciles, mites, miſericordes, hilareſq; datores, & accerſiti, tantò citius currant, quãtò diſtrictius ab eorum manibus, ratiocinium poſtulabitur; accuratè quod ipſorum intereſt indagãdo: quis Sacramentorum neceſſitate præmatur, & miniſtrorum, quis in miniſtrando defectum patiatur. Paterna eruditione, eumdem quoad perfectè miniſtrauerit, commonendo, & in miniſterijs, quantò plus cõpoſiti, humanitate, grauitate, veſtibuſq; & ſi rudibus, nõ tamẽ ſordidis, ſuperpelliceis ſæpè lotis, cum ſtolis Sacerdotalibus, ſe oſtẽderint, tantò iucundiùs Deo, & hominibus, eorum miniſterium erit.

CAP. IV.

ET niſi aliud expoſcat neceſſitas in Parochialibus ſatis conuenit fidelibus Sacramenta miniſtrari: & tàm Curati, quàm Coadiutores à nobis probati, proprijs in locis, ſi noſtra, & Parochi loci alterius abfuerit aſſentio, comminiſtrent, arbitraria pœna temeritati cõmenſuranda, in contra facientes.

CAP. V.

MEminerint ijdem gratis omnia accepiſſe, & gratis pariter conferenda eſſe, quocumq; auaritię ſimulacro reiecto, ne Simoni dictum, imputetur & ipſis: pecunia tua tecum ſit in perditionẽ. Nullã probatam, & laudabilem conſuetudinem, quæ ex oblatione voluntaria, nõ autem ex extorſione, initium habuit, reijcientes, immò approbãtes, quæ ea modeſtia, ne vmquàm Populis ſcandalũ faciat, conſeruetur: pręmoneantq; ſeptuagies vltrà, ne armati, irreuerentes, florũ, Chyrothecarum vanitatibus pleni, ad Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Matrimonij Sacramenta perueniant, & in Baptiſmi miniſterio, pari modo, patrini nuſquam accedant.

CAP. VI.

ILlud etiam fidei noſtræ orthodoxæ firmitati, ac propagationi per quàm neceſſarium eſſe, reminiſcãtur, vt patrini, tàm in ſacro fonte lauandos, quàm confirmandos, prima fidei rudimenta, vt tenẽtur, erudiant, inſinuent. Quiuè patrinus illorum erit ignarus, pęnitus arceatur: nam oculus plenus puluere maculam conſiderare non valet. Et Tridentini ſtatutum, vt vnus, vel vna, vel ad ſummum vnus, & vna teneant, & ſuſcipiant, turbam repellendo, ad vnguem obſeruent; nec non à ſuſcipiendis in fantulis, Eccleſiaſtica cenſura percuſſos; inconfeſſoſq; ſemel in anno, & quos Euchariſtię Sacramẽtum in Paſchate, conſtat non ſuſcepiſſe, & cuiuſcumq; ordinis Regulares propulſent.

CAP.

CAP. VII.

OLeorum vaſcula vbiq; ex ſtanno fabricata reperimus, eaq; præ locorum inopia, non ſine moleſtia toleramus, & vt præmonuimus, ita Curatis indeſinenter mandamus, illa ab erugine expurgari, & poliri. Aquam vè Baptiſmalem, pariter ex olei cõmiſtione, alijſquè ſordibus conſpurcatam, mundari, immunditias comburi, in ſingulis bimeſtribus ſpatijs, & cineres in ſacrario reponi. In ſabbato ſancto Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, refuſa veteri in ſacrario aqua, nouam ſacris ritibus, & cæremonijs benedici, ſaculæ, ſal exorcizatum, linteolum, candidauè lana goſſipina, qua ſacrum Chriſma abſtergitur, in Baptiſterio remaneant, eaq; combuſta, cineres in ſacrario refundantur. Illud præterea oculatim inſpiciant, nequod vis ab oſtetricibus, alijſuè, ſuperſtitioſum, infantulorum corpuſculis affigatur, & ſi quid conſpexerint, mandent illicò remoueri, ſeuerè increpando, vt ſuſpecti mores, ſtirpitus euellantur.

CAP. VIII.

GRauiſſimo ſuffogationis infantium, qui primum non dum annũ expleuerunt, periculo occurrentes, Curatis enixè pręcipimus, vt tàm crebrò plebes, & mulierculas perditiſſimas ſpeciatim moneãt, ne ſecum in lecto cubantes, infantulos condormire permittãt, vt peſſimus mos diabolica fraude cõſperſus, funditus eradicetur, & remota cauſa, ſit effectus ſublatus, & in rebelles, hac noſtra Synodali ſanctione, pœnam excõmunicationis infligimus, niſi grauioribus in cauſis, attenta perſonarum conditione, à Nobis prouidè diſpenſetur.

CAP. IX.

IMminentiæ periculoſæ mortis infantuli à quouis præſente ſuccurritur. Baptiſmus namq;, ordine perſonarum ſeruato, miniſtratur: vt inter Eccleſiaſticos, Sacerdotali gradu proximior, & inter alios ordines, qui altiori ſit inſignitus, quibus abſentibus, homo fœminę præferendus, niſi partus edi non poſſit, membrumq; extra clauſtra appareat, tunc enim honeſtatis, & pudoris cauſa, fœmina viro præfertur. Quiuè miniſter ſit formam explicitam, & incorruptã pronunciabit; ſimulq́; aqua abluet cutem, idq; ex animo faciat, quod intendit Eccleſia. Quiuè imminente periculo, domi ſanctum Baptiſma miniſtrauerint, infantuloſq́; ſuſceperint, eos ſpiritualem cognationem à ſac. Trid. Concil. deſignatam, contrahere: nullamq; qui Eccleſiaſticis cęremonijs demum interfuerit. Cumq; membrum viſibile baptizetur ſi demum caput baptizari poſſit, illud abluere, cau- *Seſſ. 24. cap. 2. de Refor.*

tius

tius erit, conditione ſemper præmiſſa, ſi baptizatus non fuit, & quia vbi maius eſt periculum, ibi cautius agendum, impigrè Curatus inquirat, ſi forma pronunciata, materia debita, & intentio concurrerunt, & ſi defectuoſũ cõſpexerit aliquod, cõditionaliter rebaptizabit.

CAP. X.

BAptizatorum Codex, cum cæteris libris ad animarum regimen à Curato Cleri, ſemper recludendus erit. Quiuè autem Sacramenti miniſter erit, ſi expertus ſit, is manu ſua nomen Baptizati, parentum, diem, horamq; natiuitatis, & Baptiſmi, menſem, & annum deſcribet, ipſeq; liber, nemini credendus erit, ne corrumpatur, deleatur, abradatur, & quouis modo deturpetur, comburatur, ſiuè diſpereat: huius noſtræ ſactionis deſtructor pœnam ſuſpenſionis luet per annum; omni gratiæ ſpe ablegata.

CAP. XI.

FOrma Baptiſmi pro obſtetricibus, & Rudibus miniſtrãtibus, neceſſariò præſcienda: *Io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito ſanto. Et nella pronuncia di ciaſcheduna perſona laui con l'acqua naturale, ſignando la Croce.* ✠

De Sacramento Confirmationis.

CAP. I.

VBi natus eſt homo in mundum, creſcit, & roboratur in vita carnali, vt in vita ſpirituali roboretur, per confirmationem. Summoperè confert ad ſalutem, cum colluctatio noſtra, ſit cum hoſte maniſeſto, ac tota ætate victurus, inter inuiſibiles hoſtes, rupes, & ſcopulos, dirigat greſſus ſuos. Hac de cauſa omnes Chriſtiani, per manus impoſitionẽ Epiſcoporũ, Spiritum ſanctum, poſt Baptiſmũ, accipere debent, vt pleni Chriſtiani, inueniantur, quia ſi in Baptiſmo abluuntur, & regenerantur, ad vitam, poſt Baptiſmum cõfirmantur, & roborantur ad pugnam, & per confirmationem corda fidelium ad prudentiam, & conſtantiam dilatantur: cum Spiritus ſanctus infuſus augmentum præſtat ad gratiam, ideoq; continuò tranſituris regenerationis beneficia ſufficiunt, victuris tamen neceſſaria ſunt, confirmationis auxilia. Curent impigrè Parochi, ſuarum ouium pectora imbuere, monendo, obſecrando, increpando (ſi ſic neceſſitas poſtulat) nec gradu lento, ſed fœſtinanter, hilariq; animo ad tanti Sacramenti gratiam, non ad otioſam cæremoniam accedere.

De cõſec. d. ſ. c. 1. & 20.

CAP.

CAP. II.

VTquè ad Sacramentum iſtud accedentes gratiam confirmationis agnoſcant, ſeq; noſcant aduerſus antiqui hoſtis nequiſſima tela, viriliter ad pugnandum obligari, ſeptennes, & vſu rationis pollentes volumus præſentari; quiuè confirmandus erit, goſſipinam lanam ad abſtergendum, pagellamq; in manibus geſtet, Patris, matris, & patrini, nomina, & cognomina continentem, aſſiſtenti Curato conſignandam, & ab eo in confirmatorum codice regiſtrandã.

CAP. III.

AC, vt ſeruetur honeſtas, & pudicitia, fœminco ſexui congruentes, abſquè rationabili cauſa, ab Antiſtite præſcienda, vir fœminam nõ teneat, nec è contra. Adulti tandem ad tantum Sacramẽtum, niſi præuia confeſſione, aut ſi copia Confeſſoris, & tempus præparationis deſit, recurrat ad cordis contritionem, cum propoſito cõfitendi. Et ne iniuria fiat Sacramento, ſpeculentur Curati, Confirmatos non reconfirmari. Patrini excõmunicati, Concubinarij, publiciq; peccatores, reſpuantur, non confirmati repellantur; Patres, Matreſq; atq; Regulares arceantur, & ex compaternitate huius Sacramenti contracta, ſpiritualem cognationem naſci, prout in Baptiſmo, nullatenus dubitandum: quę omnia, ac circa patrinos, ſiuè compatres, conditionibus in Sacramento regenerationis prę ſcriptis, attẽtè, & repetitis vicibus, vigiles Curati monebunt, ne inexpertes fideles inueniantur à Nobis. Can. monachi de cõſecrat. diſt. 4.

De Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento.

CAP. I.

LAuacro regenerationis, quo ab omni labe peccati, quam protoparentum ſemine contraxeramus, prorſus mundati, & in ſtatum innocentię reſtituti, nõ filij iræ, ſed Dei vocamur, & ſumus. Sed, quia humana carnis imbecillitate, propenſiores ad malũ deflectimur, ac mũdo, carne, Diabolo, inimicis crudeliter aduerſanti bus, ad peccãdum miſerrimè labimur, viribus noſtris ſurgere de volutabro luti, quo veluti ſues peruoluimur, non valentes; Diues Deus in miſericordia, qui cognouit figmentum noſtrum, vitæ remedium attulit Nobis qui in tyrannicam ſeruitutem, & Dæmonis poteſtatem ipſimet tradidimus, Sacroſanctum Pœnitentiæ Sacramentum inſtituendo, quo Nos fideles lethali aliquo crimine ſordeſcentes, mundaremur; lapſi reſurgeremus, proſtratiquè erigeremur: & naufragata Trid. ſeſſ. 14. cap. 1.

Sanctiſſimi Baptiſmatis naui, hoc vnico remedio ſuperſtite, tabulam nauis fractę arriperemus, remigantes, & innitentes, vt ſaluari poſſimus. Et tunc erit pęnitentia ſecunda tabula poſt naufragium, ſi culpam, corde cōtrito, cōfiteamur, & in quo errauimus corrigamur; iungamus gemitus, lachrymas copulemus. Cùm diuina natura clemens, & pia magis ad indulgēdum ſit, quàm ad vindictam prona: nec mortem peccatoris, imò eius conuerſionem expectat. Vndè ſi poſt peccatorū lapſum ad veram pœnitentiam conuertimur, citò à pientiſſimo Iudice veniam impetrabimus, qui, quod ore pronūciamus, audit in corde, & noſtrorum peccatorū impietatem remittit. Quod aperto ore, Cęleſtis clauiger expertus, totis viſceribus, verbis illis exoptabat: pænitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.

Act. Ap. cap. 3.

CAP. II.

cap. 2.

ET quia curſus huius noſtræ peregrinationis nemini tutus exiſtit, cum iuſtus, etiam ſepties in die peccare poſſit. Parochorū munus erit, indeſinenter monere ſuos, vt ad ſaluberrimum pœnitētię remedium cum dolore, & deteſtatione præteritarum culparum, ex debito luendarum, firmo propoſito in futurum abſtinendi, ſpe veniæ Diuinæ bonitatis, & miſericordiæ, frequentes accedant, ad minus in fœſto Natalis Domini, Paſchatis, Aſcēſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Natiuitatis, Annunciationis, & Aſſumptionis pientiſſimę Virginis Matris, pænitendiq; procraſtinationem euitent. Nam qui ſępè cadunt frequenti indigent medicina, quiuè ſemel confitentur in anno, ad Sanctam hebdomadam peccatorum confeſſionem, nō protrahant; at ſi ſic pigritantes acceſſerint, Confeſſarijs temporis opportunitate penſata, pœnitentiumq; cōfitendorum copia, hos, ad octauā Paſchę propulſare licebit, eiſdem pœnitentialiter pręcipiendo, Paſchalium ciborum abſtinētiam, cum Dominicæ Reſurrectionis gaudia participare ſpiritualiter non meruerint.

CAP. III.

QVoniam verò ferendi non ſunt, qui honores appetunt, recuſantq; labores, neuè locus ſit quærimonijs animarum eſuriētium panem: Curatis, & Confeſſarijs quibuſcumq; præcipimus, vt in ſolemnitatibus prænarratis, totoq; Quadrageſimali tēpore, moraliter in Sedibus ſuis, Coctis, & Stolis parati, conſedeant, temporis curſu decenti, horis tandem diurnis, nè qui confluunt, inconfeſſi recedāt, prudentiumq; Curatorum arbitrio, Confeſſarij partiantur, vt pariter votis pœnitentium, & functionibus Eccleſiaſticis ſatisfiat.

CAP.

CAP. IV.

IPſiq; animarum Paſtores proprias, in confeſſionibus audiendis, oues agnoſcant, ac primum confitentes, cuius Diœceſis, vel Parochiæ præuia interrogatione requirant; nec in Quadrageſimali cõfeſſione, alienę Parochię Parochianos,& quos ad eorum Iuriſdictionem inſpexerint non pertinere, abſoluant; neque externæ Diœceſis pænitentes, qui in reſeruatum caſum Ordinario ſunt prolapſi, eiuſdẽ iudiciũ declinare quærẽtes, Nobis incõſultis, etiam ſi illius Ordinarij caſus,hic ſimiliter ſit noſtrę cognitioni reſeruatus,liberẽt,& abſoluãt.

CAP. V.

EXterorum autem confeſſiones, qui manſionem in Parochiæ locis fecerunt,ac ſeruitio alicuis mancipãtur,audiantur omninò, quia vt cęteri originarij iudicantur. Filios verò proprię Parochiæ, quos ad eorum Iuriſdictionem pertinere conſpexerint, & caſus in aliena Diœceſi commiſſos,illiq;Ordinario reſeruatos habere repererint, Nobis conſultis,& non aliter, abſoluere valebunt.

CAP. VI.

VTquè à pectoribus tanti Sacramẽti miniſtrorum, ne dum auaritia, ſed illius ſuſpicio, ſatis nociua fidelibus, funditus eliminetur; Præcaueant Confeſſarij pecuniarias ſatisfactiones, fortè pœnitentibus iniungendas,pro miſſis, ſiuè eleęmoſynis appetere,rectius ab ipſis,quàm ab alijs ſatisfaciendas,ſuadendo;ſi tamen confeſſi, vltrò Confeſſariorum opem expoſtulent, eorumquè manibus tradiderint, largitiones recuſent pro poſſe, non tamen repulſent omninò.

CAP. VII.

ABlatorum verò, damnorumq; reſtitutiones,vt primum,per honeſtas,& graues perſonas interpoſitas, reſtitui curent,& tunc ipſi manus apponant, ſi enixè rogati fuerint, & non aliter: vtroq; caſu prudentia,dexteritateq; ſeruatis, ne obnoxij detegantur,& pariter deturpentur.

CAP. VIII.

LAicorum, & mulierum præſertim (caſibus neceſſarijs, perſonis grauibus, pijsq; tantum exceptis,arbitrio Curati) niſi in Sedibus Confeſſionalibus, quaſi in loco iudiciali, animæ iuſtificãdæ, tàm Secularibus, quã Regularibus cõfeſſarijs audire prohibemus. Quiuè prohibitionem contempſerint, eò ipſo audiendi munere ſint priuati, & ſententiam excõmunicationis incurrant,& in facultatibus audiẽdi

 con-

confeſſiones, hæ penę appoſitę cenſeantur. Sedeſq; confeſſionales in locis conſpicuis reponantur, & inter pœnitentis, & Confeſſarij facies, crates ferreę nō deficiāt. A parte pœnitētis, imago Crucifixi moriētis, qui cum pro Crucifixoribus rogaſſet, ad miſericordiam pænitētes animētur: à parte Cōfeſſarij pagellę caſuum sāctę Sedi Apoſtolicę, cū cēſuris in die Cœnæ Domini fulminatis, & Nobis reſeruatorū, firmiter cōfixæ reperiātur: à quibus omnibus reſeruatis, nec Regulares indultorū, & priuilegiorum prætextū abſoluere poſſunt. Ipſarumq; mulierū cōfeſſiones in ſedibus ipſis, ante ſolis ortum, vel poſt occaſum illius, nō audiātur. In domibus earumdē, tūc audiri poſsūt, ſi eę grauibus ægritudinibus afficiantur, ianuis vndequaq; patētibus, & de nocte luminibus lucentibus, & ſi à lōge familiarium poſpectus ſit, honeſtiùs erit. Cōfeſſiones tandem Sacerdotū, & Clericorum in Choro, quādò diuinæ pſalmodiæ ſoluuntur, minus audiātur. Quiuè horū præceptorum contēptores extiterint, arbitraria pæna, ex nūc inflicta plectētur.

CAP. IX.

MVnus audiendi confeſſiones, robuſtis humeris formidandum, ars cōplectens artium experimentum. Curatis ideò, Presbyteriſq; Coadiutoribus, regimini noſtro ſubiectis, maximè cōuenit, ſciētię, probitatis, prudētię, & dexteritatis ornamētum: & vt pergraui muneri ſatisfacere poſſint, omni eorum ſolertia, zelo charitatis ardentibus, peccata, occaſionesuè illarum, eradicētur, & pænitentes coadiuuentur. Rudes docentibus, præterita, cum lachrymis, & animi amaritudine recogitare; inconcuſſo animo in futurum à reatibus abſtinere; pro cōmiſſis indulgentiā à Deo humiliter expoſcere, per quā neceſſariū ſit ad peccatorū remiſſionē obtinēdam, cōſuetudines peccatorū, & circumſtātias cōfitendas obſeruātibus. Caſus inualidæ, & reiterādę cōfeſſionis, inſinuātibus, nulla quæ ſcandalū faciunt, puris, ſinceriſq; animabus, cōmonentibus, nec reprehenſionibus, niſi per acta cōfeſſione, monentibus, & tūc Dominicā manſuetudinē, miſericordiā, cum ſeueritate admixtā, imitātibus. Quę, vt faciliùs illi aſſequantur, ac prōptiores, & expeditiores, ſint parati, conſcientię caſuum, cauſarumq; ſingulis Dominicis, per honeſtam cōferentiam, & collationem diſcutiendarū, cuiuſq; Parochię Presbyteros, decreto primæ viſitationis, pæna peccati mortalis inflicta, aliaq; arbitraria, ligauimus, & hac modò Conſtitutione vinculamus.

CAP. X.

CVm quadrupedum pabulatoribus, campoꝛumq; ruſticanis hominibus, qui vix in anno crimina confitentur, Miſſas, aliaquè diuina

diuina ignorant,& tàm ruditer accedunt;vt qui aperire incipiant,neſciunt; maiori ſolertia elaborandum eſt, eos ad examen antè actę vitę, & multitudinem erratorum,quibus grauantur animæ, & Inferni pænas promerentur, præmeditatione diſponendo, ſi fidei Symbolum, orationem Dominicam,& ſalutationem Angelicam norunt, interrogent,quę ſi neſcire profitētur,ne dum ſuadendi,ſed priuatione Sacramentorum compellendi ſunt,vt addiſcant. Si verò tàm ſenes, & omninò hebetes erunt,ac verbo tenùs retinere non poſſint ſubſtantiam articulorum fidei, eisq́; firmiter credere ſufficiet.

CAP. XI.

NOn nullis aliquàndo negare, differre quandoq́; peccatorum abſolutionem, quamuis expeditiſſimam habeant facultatem ſoluendi, ſi tàm ſceleſtes, crebrò crebrius,& facillimè in eadem peccata relapſi, remedijs ſalutaribus adhibitis, quibus non profecerunt, reſipiſcendi voluntatem dederunt, publici cōcubinatij, alijq́; libidini,& carnis fætoribus dediti,ſiquè vxores à maritis diuerterunt,quouſquè conuiuant; falſarij teſtes,niſi damna refecerint; rancorem non dimittentes,ſignauè cōmunia, cum ſcandalo perſonarum, haud pręſtantes;Vſurarij,niſi accepta pretio dederint,& pactiones iniuſtas reſciderint; alienorum bonorum, inuitis dominis, detemptores;quiuè monitorialibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & noſtra ordinaria auctoritate non reuelauerint, principaleſq́; minimè reſtituerint, ac impedientes, ne illa publicentur, prudentium Confeſſariorum iudicio relinquitur, qui ſi ad ſoluendum facilitate ducūtur, ligant animas ſuas.

CAP. XII.

QVamuis Presbyteri,etiam Regulares in ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem acceperunt, verbis illis: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, remiſſa, & quorum retinueritis retēta ſunt: nihilominus confeſſiones audire,etiam Sacerdotū, eosq́; à peccatis liberare, absq́; ſcrutinio,& approbatione Ordinarij, priuilegijs,cōſuetudinibusq́; etiā immemorabilibus nō obſtātibus, nulli licere ſac.Trid. pręſcripſit. Parochi igitur vigiles erunt, ac intueātur, ne Sacerdos quiſpiam Domini timoris oblitus,absq́;noſtra approbatione,confeſſionibus ſe ingerat audiendis. Quiuè idonei in ordinariā, ſiuè delegatam Iuriſdictionem fuerint declarati,perpetuò aduertant, ne ad caſus ſanctiſſimo Domino, Nobis,alijsq; Ordinarijs reſeruatos, temerè abſolutionem extendant, quia confeſſiones, & abſolutiones, nullę erunt, ipſiq́; temerè abſoluentes, & falcem in meſſem alienam Seſſ. 23. cap. 15. de Refor.

mi-

mittentes, ſunt eò ipſo excõmunicatione percuſſi, abſolutione eidem Sanctiſſimo Domino reſeruata, Beneficijs, officijsq; priuati, in poſterum (niſi habilitentur) inhabiles fiunt ad obtinendum.

CAP. XIII.

ITem ſuper Irregularitatibus, non diſpenſent, nec ſuſpenſionem remittant, interdictum relaxent, neq; vota ſinè ſpeciali facultate commutent, & à quibuſcumq; excõmunicationum ſententijs, à iure, vel ab homine, & noſtris Synodalibus decretis inflictis, abſoluere Confeſſarij omninò prohibentur.

CAP. XIV.

Cap. omnis vtriuſquè ſexus de pœnitentia, & remiſſione.

COnfeſſionem, quàm ſemel in anno, coram proprio Sacerdote, fideles emittere aſtringuntur. Parochi alium Confeſſarium adeundi, non tam faciliter omnibus concedant, eoſq; primum excludant, quos artificiosè, varios ſciunt appetere Sacerdotes, vt variando conſuetudinem peccatorum contegant. Quinimmò audiendi confeſſiones licentia in Paſchate ſub hac conditione Sacerdotibus fiat, vt cum audituri ſunt confeſſiones nõ ſubditorum, Curati conſenſus ſẽper accedat: & hæc conditio pro appoſita ſemper intelligatur. Qui verò alteri, quam proprio Sacerdoti in Paſchate contigerit confiteri, ſchedulam in fidem à Confeſſario habeat, proprio Curato, antequam communicet, conſignandam: eumq; Curatus in numero Confeſſatorum, & communicatorum annotabit.

CAP. XV.

SI cuipiam facultas abſoluendi à reſeruatis facta ſit, quicumquè, & quocumq; modo abortum fœtus animati procurauerit, ſequuto effectu homicidij reus, & excommunicatus eſt ipſo facto, vt ab eo liberari, & abſolui non poſſit, niſi ſpecialiter à Nobis ſit facultas obtẽta; itemq; decorati Apoſtolicis priuilegijs, ad liberandum, & abſoluendum à caſibus ſanctæ Sedi reſeruatis, nec à caſibus in Bulla Coenæ cõprehenſis, Ordinarijsq; reſeruatis, Immunitatis Eccleſiſticę in terminis Bullę fęlic. record. Greg. XIV. violatione; monialium clauſurę, prauo animo, & propoſito, ſimiliter violatione; prouocatione, & pugna duelli in terminis ſac. Trid. Concil. & Conſtit. Gregorij XIII. fęlic record. Iniectione manuum violentarum in Clericos ex Can. ſi quis ſuadente; neq; ſimonia reali ſcienter contracta, & confidentia beneficiali, ſiuè ad forum exterius deducta, ſiuè non; nequaquam abſoluere, & liberare valebunt.

CAP. XVI.

NEfandum ſcelus, quod inter fideles, non ſolum abeſſe, ſed nec etiam nominari debet, vt Sacerdos ad audiendas Cõfeſſiones deputatus pro curatione vulnerum, maiora cãceroſa vulnera inferat, & venenum pro medicina diſpenſet, pęnitentes ad turpia ſollicitãdo, Sacramẽto pœnitentiæ humanæ reconciliationis abutatur, mulieres graui mole peccatorũ onerando, in manus Diaboli tradere, nõ abhorret; ablegare, & eradicare oportunis remedijs, etiam degradationis, & traditionis Curię Seculari, nõ ſemel oculatè proſpexit, paſtor ouium, prætioſiſſimo ſanguine Chriſti redemptarũ Gregorius XV. fęlic. record. quinimmò, pænitẽtes in loco, & actu Cõfeſſionis ſollicitãtes ad detegẽdum ſollicitatorẽ, etiam ſi turpem præſtiterũt cõſenſum, abſq; eo quod cõſenſum exprimant, teneri, declaratum fuit, & Cõfeſſarios ſuadẽtes, pęnitẽtes nõ teneri, arbitrio Ordinariorũ plectẽdos remiſit. Vndè quamuis piorum Religioſorum, Cõfeſſariorum, in loco, & actu Cõfeſſionis præſertim honeſtatem, & cõtinentiam inſpecturos in Domino credamus, qui non manus humanas, ſed Apoſtolicas habere debent, vt poſſint ligatos ſoluere, tutiori tamen conſilio innitentes in facultatibus Confeſſariorum per breuis citatio Bullæ modeſtè apponi curabimus, & ſi omittatur pro appoſita cenſeatur.

Caſus autem, quos noſtro Epiſcopali Iudicio, in ædificationem, & non in deſtructionem, reſeruamus, atrociores, & grauiores, hac pagina continentur.

1 Blaſphemia contra Deum, & Beatam Virginem.
2 Maleficium, Diuinatio, Incantatio, cum expreſſa, vel tacita dæmonis inuocatione.
3 Homicidiũ voluntariũ, Cõſulentes, mãdantes, auxiliũ, & fauorem (præſtantes.
4 Iuramentum falſum alteri nocens, ſeductio, mandatum, conſiliũ, vel quodlibet auxilium,
5 Abortus, vel illius procuratio, poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.
6 Raptus mulierum, & Virginis ſtuprum per vim, etiam cum ſacrilegio Religioſi profeſſi.
7 Inceſtus in primo, & ſecũdo gradu affinitatis, vel cõſanguinitatis, (etiã ſpiritualis.
8 Sodomia, vel coitus cum brutis animalibus.
9 Coniugum Copula ante benedictionem Sacerdotalem.
10 Qui licitam rerum publicarum defenſionem impediunt, etiam ſi ſint Barones contra Vaſſallos.

De

CAP. I.

ADeò excellens,& ſingulare fuit Sãctiſſimum Euchariſtię Sacramentum Chriſtifidelibus,mortem recolentibus memoriale,& ęternę glorię pignus; donum à Redemptore relictum, ſupra cætera Sacramenta; vt impares vires habentibus,gratias Altiſſimo reddere, non valentibus: Saluator, quas gratias retribuere, nõ valebamus,ipſe æterno Patri, antè inſtitutionem exhibuit. Siquidem accepit panem, gratias agens, fregit,& dixit: accipite, & manducate, vt gratias à Nobis ſemper inſufficienter reddendas ſuis gratijs,& meritis copulatas efficaciter ad aliquid noſtræ valerent. Benè in Cythara Dauid canebat: quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, in typum Sanctiſſimæ Euchariſtię, cum Angelorum menſa, per illam participes effecti fuimus: vt vbi humana natura in excelſis pertingere, non valebat,Chriſtus illam aſſumens, menſamq; de Cœlis, deorſum humilians, Nos Angelis adæquauit, ijſq; quoad menſam Sacratiſſimam reddidit excellentiores. Vndè panem Angelorum manducauit homo, qui Aman in menſa Aſſueri Regis,& filijs Berzellai in menſa Salomonis, comedẽtibus, in Angelorum mẽſa comedens, dignior,& fœlicior efficitur, cum labia, aperto Chriſti lateri affigens, ſacratiſſimum ſanguinem ſugit, & inebriatur ex illo. Hanc gratiam, poſt habitum de Tyranno triumphum, ad Cælos reuerſurus in gloriam maieſtatis, dilectis creaturis, Sacerdotis miniſterio, ſub Sacramentalibus cibi, potuſq; ſpeciebus communicandam reliquit; vt, ſub earum velamine, quibus nutriri corpus oportet, aſſiduè animabus noſtris volẽtibus, adhæreret: & in ipſis Chriſtum videmus, tangimus, & manducamus. Immenſas Deo gratias indeſinenter agamus, pro his donis Cæleſtibus collatis, ac ad ſacrum Conuiuium excitati, feruentes, accenſi,& ſine nauſea accedamus, quia, nõ parua pæna indignè ſumentibus proponitur, cum Corporis, & Sanguinis Chriſti rei efficiantur, ſi pollutis animabus, poſt tot beneficia Chriſti Corpus accipiunt. Curati itaquè ſolertes erunt ſuos cõmonefaciendo, quàm neceſſarium ſit, in peregrinationes, hac via, ſœpè vires reficere, deficientes, hoc ſacratiſſimo cibo,& qua puritate accedendum, ne iudicium ſibi ipſi manducent, & bibant, Corpus Domini non diiudicantes.

CAP. II.

LIcèt dignum, apud nos habitaculum humana conditio extruere non poſſit, pro aſſeruatione ſanctiſſimę Euchariſtiæ, communi

muni attamen vſu inauratis tabernaculis ligneis, pulchritudine, ſtructuraq; eleganti, decenter ſeruatur. Curati igitur, alijquè, quibus incumbit ex debito, introſpiciant ſœpe ſœpius, ne panna ſerica, quibus introrſum refecta ſunt, corrumpantur, & corradantur, & muribus, araneis, alijsq; immundis feris, pateat ingreſſus: & locus ſit ómni cultura politus, claui obſeratus à Curato, vel Cuſtode tenenda. Particulæ conſecratæ in pixide argentea inaurata conſeruentur, & in tabernaculo recondantur, alia minuſcula pixide, conopęo contecta, pro delatione viatici ad languentes exiſtente. Semper lampas ante ardens exiſtat, quæ ſi extincta reperietur, Curatus, quiuè curam gerit, & deficiens in ſubminiſtrando oleo, pœna arbitrio noſtro taxanda, mulctabitur.

CAP. III.

ET ne tam neceſſaria, ſalutiferaquè refectione, priuentur animæ paruulorum, poſtquam ad vſum rationis, & ad annos diſcretionis peruenerint, prudentis, pijq; Curati iudicio, inſtituantur abũdè, in omnibus Dominicis Quadrageſimæ præſertìm, de tantæ rei myſterijs, quiduè de fide retinendum ſit in Hoſtia conſecrata; quibus præparatione, humilitate, puritate, & reuerentia, accedendum ſit ad ſacratiſſimam communionem, & tunc admittentur ad menſam, quãdo Curatus viderit expedire.

CAP. IV.

PEr annum, vbiq; Eccleſiarum, ſacratiſſimo cibo quiſpiam ſe reficere poteſt: Paſchali autem tempore, in ſua propria Parochia, manu Curati, communionem tenetur accipere, vt Paſtor in faciem ſuas oues agnoſcat. Ideò Curatis proprijs, ne valeant circà hoc paſſim, & faciliter indulgere, prohibemus omninò. Vtq; ſacra communione refecti ab alijs diſtinguantur, libello connotentur à Parochis, & qui mandato Eccleſiaſtico de communicando in Paſchate, obedire renuerint, octaua Paſchæ peracta, deſcribantur in folio, noſtroq; mandato, forma inferius pręſcripta, à Curatis ſignando, citentur ad dicendum, quare mandatum Eccleſiaſticum de communicando in Paſchate, non ſunt exequuti, & ad videndum ſe contumaces excommunicari, & à fideliũ cõſortio, & vnitate Eccleſię pręcidi; iuxtà huius noſtrę Diœceſis morem probatiſſimum, pręter iuris aſſiſtentiam.

CAP. V.

MOnachis, Regularibuſq; à Dominica palmarũ per octauam Paſchatis, quouis prętexu reiecto, cõmunionem fidelibus laicis prębere, nullo modo permittitur, quos ij ſemper excludant, & cõmoneſaciendo, ad proprium Parochum omninò remittant.

CAP. VI.

QVi Paſchali tempore abſunt à Patria, pagellã fidei cõmũnicantis, vndequaq; tutam, ſi alibi Eccleſiaſtico præcepto de cõmunicando in Paſchate ſatisfecerũt, proprio Curato, poſt receſſum, oſtẽdant; at ſi commentitiam ſchedulam Curatus agnoſcat, tunc ſuum munus exoluet, ſi Nobis reſcribat.

CAP VII.

IN deferẽda ad Infirmos pro viatico ſanctiſſima Euchariſtia, Curatus, ſeù ſaltem Cõfeſſarius approbatus accedat; iſq; prouideat, ne luminaria, vt pręſcripſimus, de proceſſione deficiant, idemq; Stola ſuper Cocta mũda paratus, & Pluuiali, ſi habere poſſit, ſerico velo aurificiato, vel ad minus ſerico mũdiſſimo, & ditiſſimo, ſuper humeros extenſo, vmbella contectus, pixidẽ paruam, vt infirmorũ neceſſitas expetit, particulis refertam, vt ſi vnus tantum ægrotus ſit communicãdus, cum alia particula ad Eccleſiam redire poſſit, accipiat, dirigat greſſus in pace: Pœnitentiales Pſalmos intelligibili voce, cum cætu fidelium, in campanę ſigno congregatorum, pronunciabit; in receſſu, congruas Altiſſimo laudes retribuat. Et antequam cõmunicetur ægrotus, ſi vomitus infirmitate laborat, vel alia de cauſa communionem ſumere nequit, recedat ſanctiſſimum, & neq; ad adorandum, neq; ad deoſculandum concedatur; & num ipſe ægrotus, reconciliatione indigeat, ſciſcitetur; ſi quid confiteri poſtulat, audiatur, dataq; abſolutione, communio miniſtretur, & quem communicabit infirmum, ſalutaribus monitis, vt mentem ad Cęleſtia erigat, ac Corporis, & Animæ ſalutem expectet à Domino, qui deducit ad Inferos, & reducit, adiuuare non prætermittat. Reuerſaq; ad Eccleſiam proceſſione cum cætu fidelium, Curatus abſolutionem faciat generalem, & indulgentias elargitas fidelibus aſſociantibus publicabit.

CAP. VIII.

CVrati, aliję; conſacerdotes ad infirmos, cum viatico accedentes in diurnis horis ad eos inieiunos accedere caueant, niſi in repẽtinis, extremis doloribus, vulneribus, caſibuſq; lethalibus. Quia ęgroti viaticum reuerẽter, & ieiuni accipere debent. Contra verò facientes arbitraria pœna plectentur.

CAP. IX.

CVm in vniuerſum penè loca totius noſtrę Diœceſis, præcipitoſa, ſaſſiſq; impedita ſint poſita, illorumq; vici anguſtiores, lubrici,

brici,& prorupti, immunditijs potiſſimum pleni, ita vt prolabēdi periculum vix euitari poſſit. Curati infra duos mēſes, ſumptibus Cappellæ ſanctiſſimi Sacramenti, burſam ſericam albam aurifrigiatam, vel ad minus ſimplicem cōuenientibus fibulis,& floccis, quæ à collo ad pectus pendeat, conſeruetq; pixidem ad infirmos, vt diximus,ducendam, comparent. Quiuè huic præcepto, minus obtemperauerit, de ſuo comparabit, arbitrioq; noſtro punietur.

CAP. X.

MEnſa, tobaleis mundis, corporali deſuper extenſo, luminaribus lucentibus, propè ſtratum ægroti paretur, niſi incōmoditas paupertatis aduerſetur: & dum Curatus exhortationes,& prœces effundet, genuflexis adſtantibus inibi, reuerenter ſanctiſſimum reponatur.

CAP. XI.

ACcedentes ad tam venerabile Sacramentum mulieres, à fucis, alijsq; laſciuiæ irritamentis abſtinere, Curati præmonere non ceſſent: quia conſcientiæ puritate, nitore, humiliquè affectu indutæ, & non fucatæ accedere debent.

CAP. XII.

IN communionibus generalibus,non ſuper extenſo corporali, ſed in pixide repleta,particulæ conſecrentur, ne fragmenta, quanta vis diligentia adhibita, incollecta remaneant, ac in actu cōmunionis, Diaconus, extenſam ſubtus mentum communicādi patenam ſubminiſtrabit; duoq; Clerici albam mappam manibus extenſam, & non prolapſam ſuſtentabunt,vt ſiquę fragmēta,vel particula(quod Deus auertat) concidant, reuerenter colligi poſſint. Vtq; hæc pręcepta attentè perficiantur à Curatis, eorum conſcientias onere peccati mortalis grauamus, & ſi quid eorum incuria acciderit, reus arbitraria pœna plectetur.

CAP. XIII.

QVinta feria in Cœna Domini, quandò, expleta ſolemnitate in memoriam celeberrimæ inſtitutionis,Corpus Dominicum ſacratiſſimum recōdendum ducitur ad ſepulchrum, pixides,cum particulis aſſeruatis, ibidem à Diacono aſportentur, ibiq; recondantur, pro infirmorum neceſſitate, vt Altare ornatu denudatum, tabernaculumq; reſeratum,remaneat,illudq; ſepulchrū,loco remotiori,lucidiſſimè, munificentiſſimeq; prętioſis pannis paretur, tùm pro vene-

 ratione

ratione Chriſti Corpori debita, tùm quia ſepulchrum, quod Chriſti Corpus meruit obſerare, nouum in petra exciſſum fuit. Et præter fidelium continuas ſtationes, Curatus loci in gyrum diſtribuat horas, eoq; cum alio ſeniori Pręsbytero incipientibus, bini per ordinē, tàm Pręsbyteri, quàm Clerici, coĉtis parati ſepulchro orationibus famulentur.

C A P XIV.

SVmpto in cōmunione à fidelibus ſacratiſſimo cibo, vinum, vel aquam in cyatho vitreo à Clerico deſtinato, cum mappa munda ſubminiſtretur, vt vehiculum ſit ad benè diglutiendum; tunc fideles obtuſis oribus in ſuis locis recedant. Ac vt omnis impietas, vel illius ſuſpicio explodatur, os nemo mappa, linteolo, Cappa, vel Cappello contegat, & genuflexi, intenti ſilentio, quid acceperint contēplabuntur, & maiores, quas poſſunt gratias, dulciſſimo Ieſu perſoluent.

C A P. XV.

SAtis piè, & religioſè cautum fuit à Prędeceſſoribus noſtris, oĉtauo quoq; die, feria quinta, in memoriam ſacratiſſimæ cœnæ, particulas pro infirmis aſſeruatas renouari, vt ab omni putrefaĉtione; ſpecies ſacratiſſimæ conſeruentur immunes; quod Nos per Decreta noſtræ Viſitationis mandauimus obſeruari, & modo in æuum præcipimus cuſtodiri.

C A P. XVI.

CLauis autē, qua in tabernaculo, vt prędiximus, auguſtiſſimū obſerari debebit, aliæq; claues fontis baptiſmalis, oleorumq; ſanĉtorum, & ſanĉtarum reliquiarum, ſub firma clauià Curato tenenda, recondantur: & tunc alij probo Sacerdoti, vel Confeſſario credatur, ſi aliqua de cauſa Curatus abibit.

C A P. XVII.

FOrma mādati expediendi ſingulis annis contra eos, qui pręcepto Eccleſiaſtico de communicando in Paſchate non paruerunt.

Per vnum ex Clericis, ſiuè Diaconis ſeluaticis noſtrę Epiſcopali Iuriſdiĉtioni ſubieĉtis.

N. Dei, & ſanĉtæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Polycaſtren.

Præcipitur, & mandatur omnibus infraſcriptis perſonis N.N. Parochię, qui præcepto ſanĉtę Matris Eccleſiæ de cōmunicando in Paſchate nō ſatisfecerūt in proxima elapſa Reſurreĉtione Dominica, vt infra dies oĉto, omninò pareāt, qui dies aſſignātur pro prima, ſecūda, & tertia Canonica monitione, quibus elapſis, niſi paruerint, excōmunicabuntur, & excommunicati publicè denunciabuntur, euitandi ab

om-

omnibus, tamquam membra putrida,ab vnitate Eccleſię,& fidelium conſortio reſecata. Die.... Menſe....& Anno....

N. Archipreſbyter Curatus de mandato Reuerendiſſimi Epiſcopi.

De Sacramento Ordinis.

CAP. I.

QVoniam in tẽporali hac vita viuentiũ, ex ſe ipſo nullus naſcitur homo:nemo ſe ipſum medetur,nec morbũ à ſe expellit, ſed extrinſeco alio agẽte opus eſt. Idcircò Chriſtus Dominus ergà nos liberalis omninò ſacrificiũ, & Sacerdotiũ, quò Sacerdotes, natos Baptiſmo regenerarẽt,purgarẽt,abſoluerẽt,nutrirẽt, matrimonioq́; cõiungerẽt:& vt ſoli Põtifices cõfirmarent,& ordines diſpenſarẽt,qui Apoſtolis decedẽtibus, in eorũ locũ ſucceſſerunt, inſtituit, quod indicauit Doctor Gentiũ illis verbis:Sic nos exiſtimet homo,vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei: quia dignitatis Sacerdotalis Auctor æternus,in ara Crucis ſui ipſius cruẽta oblatione cõpleta,vt in mirabiliũ ſuorũ memoriã fideles excitaret,incruenti ſempiterni ſacrificij nouos ſibi Sacerdotes ordinare decreuit, verbis illis à ſe prolatis: Hęc quotieſcumq́; feceritis in mei memoriã facietis.Quiuè tãto miniſterio ordinãdi obiter aſcribũtur à Nobis(qui immeriti vices illius gerimus) ſac.Can.& Trid. pręſertim decreta ſummorũ Pontificũ Conſtitutiones,Eminentiſſimorũ S.Congregationi prępoſitorũ ſtatuta ſequẽtes,in ordinum collatione inuiolabiliter hęc volumus obſeruari.

Trid ſeſſ. 23. c. 4. de ſacra. ord.

1. Corint. cap. 4.

CAP. II.

VTquè ad Sacerdotium aſſequendum, gradatim conſcenderemus,plures alij inferiores ordines,Diaconatus, Subdiaconatus v.g. maiores ſacri ordines,quatuor minores,& prima Clericalis tonſura,in Eccleſia Dei inſtituti ſunt, per quos Canonicos gradus, & nõ per ſaltum habiles ad Sacerdotiũ pertingere poſſunt. Initiandi itaq́; prima Clericali tõſura,vel ad quatuor minores promouẽdi,antè promotionẽ ad Nos recurrere debẽt, vt tàm ex ſacrorum Canonum Decretis,ſacriuè Trid.quàm S.Congregat. nouiſſimo ſtatuto, Parocho proprio,vel alteri, de ætate, moribus, & vita, legitimis natalibus, Baptiſmo,Confirmatione,& poſt trinas denunciationes inter Miſſarum ſolemnia ſuper deſiderio promouendi, inquiſitionem committere poſſimus,quibus expletis,Commiſſarius obſeratas ſchedulas, ſua ſubſcriptione munitas, cum Canonicis impedimentis, ſi quę ſunt detecta,ad Nos,qui commiſimus, fideliter tranſmittat.

CAP.

CAP. III.

IMpedimenta autem canonica, quæ reijciunt promouendos, ſunt: ſi irregularitatis, vel cenſuræ vinculo detinentur; ære alieno grauentur, & ratiocinijs aſtringantur; ſiuè ſecularis iudicij effugiendi cauſa affectant Clericalibus priuilegijs aggregari; ſi amentes, lunatici, corpore vitiati, Bigami, Concubinarij, alijſq; carnis immunditijs dediti, periuri, vſurarij, ſimoniaci, energumeni, publicè blaſphematores, & pœnitentes, infames, ſpurij, ebrietatibus inuoluti, & alio quouis modo criminoſi.

CAP. IV.

PRima Clericali Tonſura initiandus, hæc requiſita congerere debet: ſi originis, beneficij, aut domicilij ratione noſtræ, & non alienę Diœceſis ſit, ſi ætatis ſuæ ſeptimum annum expleuit, baptizatus, confirmatus, legitimis natalibus ortus, in fidei rudimentis inſtructus; legendi, ſcribendiq; non ignarus, vitæ, morumq; honeſtate ornatus, taliſq; indolis, vt ſe præferat ad maiores probabiliter ordines aſcenſurum: & à Pontifice initiatus, alicuius Eccleſiæ ſeruitio ſignanter mancipetur.

CAP. V.

Cap. fin. de ætate, & qualit. lib. 6.

QVi prima Clericali tonſura poſtulant initiari, vel ad quatuor minores Ordines promoueri, ad victum, & veſtitum neceſſarium aliquid paratum habere procurēt, vel ſaltem pro literis, & muſica addiſcendis, & humanæ vitę alimentis cōditioni correſpondentibus, eiſdem ſubminiſtrandis, parentes, arbitrio noſtro, ſub cautione promittant: ne laceris pannis veſtiti, aſſiduiſq; ſudoribus laborum defaticati, litteras non addiſcentes, vilipendium potius in dedecus ordinis Clericalis, quam honeſtam exiſtimationem oſtendant.

CAP. VI.

Trid. ſeſſ. 23. c. 11. de Refor.

AD quatuor minores ordines promouendi, pręter ſupraſcripta, linguam latinam intelligant. Et quia ætas à ſac. Trid. Concil. non eſt præſtituta, ab hoſtiarijs, lectoribus, & exorciſtis duodecimum annum, & ab Acolytis decimum quartum inceptum pręexigemus, ex placitis ſacrorum Canonum peritorum; & cum bono Parochi, & Magiſtri Scholæ, in qua verſantur, & educantur, teſtimonio; & quod ſeruitijs Eccleſiaſticis inceſſanter incumbant; & frequenter ad Sacramentum Altaris accedunt; Clericalemq; habitum ſemper geſtarunt, à deſiderio promotionis non ſunt excludendi.

CAP.

CAP. VII.

PRomouendi verò ad maiores ordines ad ſac. Trid. præſcriptum, per menſem ante tempora ordinationis, coram Nobis ſe præſentare debebunt, Qui eorum honeſta petitione penſata, Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, & nomine, & deſiderio promouendorum, tribus fœſtiuis diebus, inter Miſſarum ſolemnia, Populo nomina, & cognomina de noſtra commiſſione, proponat: ac ſi Canonico aliquo ex ſupracitatis impedimentis, alijſq; Canonicis detinetur inquirat. Nam de electione miniſtrorum Altaris, & de illorũ vita, & conuerſatione, eſt Populus conſulendus; vt libentius ordinato obedientiam præſtent, cum cõſenſum prębuerint ordinando: item an titulus beneficij, ſiuè pẽſionis, aut patrimonij in defectum illorum explicitus ſit, pacificeq; poſſeſſus, nullaq; debitorum mole grauatus, vel fictitius inueſtigabit: vt quorum interſit, poſſint aduerſus propoſita comparere. Illaq; publicatione pręmiſſa, Cõmiſſarius de requiſitis ſecretè informationem habebit, ac abeſſe, vel adeſſe Canonica impedimenta ſigillo obſerata reſcribet. Seſſ. 23. cap. 5. de Refor.

CAP. VIII.

SVbdiaconus inſuper promouendus, attentè, & ſolerter præcauere debebit, ſi ætatis ſuæ annum vigeſimum ſecundum habet inceptũ; ſi vita, fama, bonis moribus cõpoſitus, & ornatus: quia cum liber ſit, & pro arbitrio ad ſecularia vota redire non poſſit, onus vltrò appetit, à quo, nõ licebit, vllo vnquàm tempore reſilire; ſi ſeruitio, & miniſterio Altaris tardus, vel aſſiduus ſit; ac ſi annus à poſtręmi ordinis ſuſceptione prolapſus; aliàs ob Eccleſiæ vtilitatem diſpenſandus; nùm ſœpè communione refectus: fructuſq; beneficij, penſionis, vel patrimonij, deductis deducendis, ad viginti ducatorum annuorum ſummam aſcẽdant, & patrimonij in ſtabilibus, nulli ſuppoſitis, & obnoxijs, verus, & legitimus poſſeſſor exiſtat. Quæ per informationem, & publica documenta probabit. Si verò patrimonium in capitalibus redimibilibus cõſiſtat, poſt ordinationem, volũtaria alienatione affrãcationis, & extinctionis, priuabitur. Cum beneficium renũciari, pẽſio extingui, & patrimonialia bona alienari non poſſint, niſi cauſa cognita, quod promotus aliundè commodè viuere poſſit. At ſi debitores capitalium vigore redimibilis pacti extinctionẽ affectant, deponatur pecunia pœnes ędem ſacrã, vel tutam perſonã deſignandã à Nobis, vt ſecurè iterum implicetur in fructum. Quiq; aliud attentauerit, pręter renunciationis, extinctionis, remiſſionis, alienationis, ſubmiſſioniſq; nullitatis actum, arbitrio noſtro plectendus erit.

CAP.

CAP. IX.

PRomouendi Diaconi, ſi annum vigeſimum tertium inceptum habent, anni item Eccleſiaſtici interſtitium à Subdiaconatu accepto effluxerit, obſeruent, & intra idem tempus in ſuſcepti munere miniſtrauerint, atq; in vitæ modeſtia, & bonitate, cum frequentatione Sacramentorum perſeuerauerint: & interſtitijs non dum elapſis, niſi aliud Eccleſiæ vtilitas ſuadeat, diſpenſentur.

CAP. X.

PResbyteri ordinandi, & cõſecrandi, annum vigeſimum quintum attigiſſe, ac etiam laudabiliter, cum Populi ædificatione vixiſſe in ſacris Ritibus Eccleſiaſticis, diuinorumq; recitatione, ſacrificij celebratione, Sacramentorumquè adminiſtratione, ſufficienter ſe inſtructos docebunt: annumq́, Eccleſiaſticum à Diaconatus ſuſceptione effluxiſſe, quo non expleto, niſi neceſſitas, & vtilitas Eccleſiæ expoſtulat, cum diſpenſatione poterunt promoueri.

CAP. XI.

OMnes promouendi ſecundum ordinis prærogatiuam, qualitatem, & miniſterium, peritiam, ſolertiamq; in examine feria quarta ante Ordinationem habendo, palam facere aſtringuntur: vt ſuo quiſq; muneri, correſpondere poſſit. Quiquè inhabiles, & rudes noſtro, examinatorumq; iudicio videbuntur, à ſuſceptione ordinum eliminentur.

CAP. XII.

PAtrimonium promouendorum ad annuos fructus, deductis laboribus, & impenſis, ducatorum viginti, arbitrio noſtro, pro modo regionis taxatũ, ex cauſa, eodem arbitrio, moderãdum reſeruamus. Quiuè ementito titulo, per colluſionem, & reputationem, promoueri ſe faciunt; doloſa ſimulatione detecta, fraudequè probata, præter pœnas à Sixto V. Pontifice maximo fælic. record. ſua Conſtitutione inflictas, ſeueriſſimè arbitratu noſtro plectentur.

CAP. XIII.

INtroductum morem probatiſſimum in Eccleſijs Parochialibus receptiuis, per loca noſtræ Diœceſis, vt promouendi, bonis ſuffragijs à Curato, presbyteriſq; habitis, promoueantur, & non aliter, examinatis, & penſatis effectibus, approbamus, & de cætero, hac norma in actione vtantur. Inſtantibus coram Curato promouendis, per dies octo antè ordinationem, fœſtiuo die, poſt veſpertinas horas, Cu-

rat:s

Digitized by Google

ratus in ſacriſtia ſuos Presbyteros conuocabit, quibus deſiderium promouendorum proponat: & ſi per vota ſecreta, maiora ſuffragatio reſpectu duarum partium promouendi habebunt; Curatus tunc, & noſter Foraneus, nomine Cleri, atteſtationem fauorabilem dabunt. At ſi per calumniam, atteſtationem conſpexerimus dilatari, introductus mos, arbitrio noſtro, relaxabitur. Si verò cõtigerit, à maiori parte ſuffragiorum ſecretè, vt ſupra, promouendos, iuſtis de cauſis, propulſari, ne ſcandala veniant, illaq; refellantur pro poſſe, pœnam excommunicationis latę ſententiæ, contra propalantes infligimus, quã extendimus ad omnes actus collegialiter explicãdos: & qui iurgium, aliquo modo, commouerit, pœna carceris per ſex menſes irremiſſibiliter punietur.

CAP XIV.

PRomouendi tandem ornatu veſtimentorum modeſto, in ordinatione compareant, Coctis mundis parati, qui minores ordines erunt ſuſcepturi; Qui verò maiores, cuiq. ordini veſtibus conueniẽtibus ornati, & præmiſſa Sacramentali confeſſione, vt Spiritus ſancti gratia efficaciùs in impoſitione manuum noſtrarum operetur. Qui erunt etiam prima Clericali tonſura initiandi, conuenienti veſte Clericali veſtiti accedant: & in Ordinationibus Generalibus per cæremoniarum Magiſtrum ordinandorum proceſſio dirigatur: itaut bini ſecundum ordinum prærogatiuam incedant: cereos pro oblatione geſtantes, & non pro excitando riſu, ex faculis minimis, ſicut inuenimus: ſed qui prima Clericali tonſura initiandi, & ad quatuor minores promouendi, cereum vnius libræ; qui verò ad maiores, & ſacros ordines accedunt, cereos librarum duarum pondere præſentabunt.

De Sacramento Matrimonij.

CAP. I.

MAtrimonij Sacramentum in ſtatu innocentiæ à Summo rerum Opifice ore prophetico protoplaſti dicentis: hoc nunc os ex Gen.c.2. oſſibus meis, & caro de carne mea; ad propagatiónem, humaniq; generis conſeruationem in officium naturę inſtitutum fuit: perhibente ſacra pagina: creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Cęterùm Gen. c.1. poſt peccatũ, in remediũ infirmitatis, ad reſecãdas carnis concupiſcẽtias, eorum, qui cõtineri nõ poſſunt, ac ad declinandã fornicationem, ordinatum fuit. Qui enim continere non poteſt nubat in Domino: Paulus ad Corinthios ſcripſit ſecundum indulgẽtiam, non ſecundum 1.Corint. Imperium. Qui etiam dixit Sacramentum matrimonij magnũ eſſe in cap.7.

Digitized by Google

Chriſtus,& Eccleſia,quia in eo conſideratur conſenſus animorum,& coniunctio corporum. Moneat propterea Curatus hoc Sacramẽti vinculo connectendos, ne ſenſu petente, Brutorum more, antè matrimonium ſolemniter celebratum,ad carnis commixtionem ſe ſe immiſceant: imò Eccleſiæ benedictionem expectent, ac triduo antè illius conſumationem, ſe Euchariſtiæ Sacramento præmuniant.

Eph. c. 5.

CAP. II.

TRinas denũciationes ſemper Parochi fœſtiuis diebus, inter miſſarum ſolemnia, in ſummo populi conuentu,matrimonio celebrando pręmittãt: vt ſac.Trid. præceptum inconcuſsè ſeruetur. Quibus denunciationibus expletis,ſi nullum legitimum detegatur impedimentum, decurſa die poſtremę denunciationis, viro, & muliere interrogatis,eorumq; mutuo conſenſu ſpecificè habito, coram teſtibus,ad matrimonij celebrationẽ in faciem Eccleſię procedatur,abſq; vlla venia à Nobis petenda, ſi vnius Parochiæ vtriq; ſpõſi filiani exiſtant,cum nuptiarum benedictione, iure ſolito perſoluto Curato;cui pignus accipere non prohibetur, quod matrimonium in Parochiali contrahatur: niſi ex cauſa, aliter diſpenſetur à Nobis.

Seſſ. 24. c. 1. de Ref.matr.

CAP. III.

CVmq; inter ſponſos, non eiuſdem Parochiæ, nec eiuſdem loci, matrimonium venerit celebrandum, illos nullo modò coniungant, niſi denunciationibus, in vtriuſq; Parochia, præmiſſis,ac datis, per Parochos atteſtationibus,quod nullum Canonicum obſtat impedimentum, à Nobis videndis,connectendi facultatem expectent. Qui autem horum præceptorum contemptor extiterit, arbitrarijs ex eodem Tridentino pœnis afficiendus erit.

CAP. IV.

QVòd ſi ſponſus,vel ſponſa, externæ Diœceſis ſint, maturiùs in celebrando matrimonio procedendum: Curatorũ tunc partes erunt, ad Nos atteſtationes tranſmittere, tàm de denunciationibus pręmiſſis in vtraq; Parochia,quàm de connubentium ſtatu,ſi aliquando matrimonium contraxerunt,& morte ſolutum ſit, in quo loco, cum præſignatione diei ſepulturę ſemper in atteſtatione Curati alienę Diœceſis; Ordinarij illius legalitate, & non aliter accedente.

CAP.

CAP. V.

SI inter denũciationes Canonica emerſerint impedimenta contrahendi, eò magis laboret Curatus ad prohibendum ſponſis mutuam conſuetudinem, eosq; paternè moneat, vt mandatum Apoſtolicum de diſpenſando, celeriter obtineant: & à noſtro Generali Vicario, recognitis præcibus veritati innixis, Apoſtolica auctoritate diſpenſationis decretum interponatur: & ſi interim ſponſi copulantur, diſpenſatio ipſis non ſuffragatur, & noua indigent diſpenſatione, & quouſq; non obtineatur effectus, ſeparati manere debebũt. At ſi poſt matrimonium ritè contractum, emerſerint impedimenta, inhibeat Curatus ſponſis copulam coniugalem, qui ſeparatim manebunt, quouſquè per Sedem Apoſtolicam, mandato Apoſtolico per ipſum met Generalem Vicarium exequuto, diſpenſationis gratia impedimenta tollantur.

CAP. VI.

EOs verò, qui per calumniam, & dolum falſa matrimonijs cõtrahendi impedimenta objicient, gladio excõmunicatoinis percutimus. Impedimento attamèn, ſiuè vero, ſiuè falſo ad denunciationes obiecto, Nobis inconſultis, nullo pacto, ſub graui pœna, ſponſos Curati coniungant. Qui verò Canonica impedimenta attulerint in ſcriptis, propria reuelãtis ſubſcriptione munita, nomine, & cognomine expreſſis: & ſi ſcribere neſciant, coram duobus teſtibus, fideliter Parochi impedimenta recipient. Si matrimonium, vltra menſes duos à denunciationibus, ſponſi celebrare diſtulerint, ipſum contrahi inhibemus; niſi de nouo denunciationes ſint factę: vt ſi quæ emerſerint, reparentur.

CAP. VII.

SI inter coniuges, ob longam alterius abſentiam, de abſentis morte, rumor aliquis ſuſcitabitur, ſuperſtiti nunquam ad ſecunda vota tranſire, nec denunciationes pro ſecundo matrimonio fieri permittitur, niſi de morte abſentis concludenter in Curia noſtra, per atteſtationes Parochi, ſepulturam Eccleſiaſticam de defuncto præbentis, & teſtes receptos, cum interrogatorijs habitis, de mandato ſupremi Officij ſanctæ Inquiſitionis, pro eradicanda Poligamia: & Parochi contra facientes graui pœna plectentur.

CAP. VIII.

VAgorum, ſiuè peregrinorum matrimonium cautè tractandum, ij enim ſæpè improbi ſunt ingenij, & vna vxore viuẽte relicta, aliam, ſeù plures, diuerſis in locis ducunt. Ne ideò hoc genus homi-

Seſ. 24. de Ref. mat. c. 7. num ad matrimonium facilè recipiatur, Parochis, ſicut ex ſac. Trid. cauetur, ne matrimonijs iſtorum interſint, ſub grauiſſimis pœnis arbitrarijs infligendis, præcipimus: niſi facta omnimoda diligentia, & inquiſitione, & re ad Nos delata, contrahendi facultatem habuerint.

CAP. IX.

CAueant vlterius Curati, ne ad contrahendum cùm defectu ętatis contrahentes accedant, quã in viro decimũ quartum completũ & in fœmina duodecimum peractum iura requirunt: quinimmò, nec denunciationes aggrediantur, niſi habuerint connubentium voluntatem expreſſam, & de requiſita ætate ad matrimonium celebrandum, certò certiùs facti: & qui hæc minus obſeruabunt, pœnis grauiſſimis coercentur.

CAP. X.

PRoh dolor? non ceſſat humani generis hoſtis in tritico mundo ſuas ſeminare zizanias. Frequentiſſima ideò eſt in hac noſtra Diœceſi copula inter connubentes, prius quam coram Parocho, & teſtibus, mutuum conſenſum expreſſerint, & Sacerdotalem benedictionem habuerint, nec prouiſiones vſque modò pijſſimè emanatæ, effrænatam libidinem coercuerunt. Parochi, qui hos exceſſus inſpiciunt, ſuos inceſſanter moneant, nè antè matrimonium celebratum, inter ſponſos familiaris conſuetudo intercedat: quia impoſſibile eſt ignem in pectore conſeruari, & non vri. Quos nouerint hiſce monitis aduerſari, ſiuè ſimul habitent, ſiuè vnus in domum alterius ibit, illicò, ſub pæna peccati mortalis ipſo facto, certiores Nos faciãt, vt ceræ albæ elaboratæ librarũ quindecim pœna, pijs vſibus applicanda, cõtrà facientes plectantur, & excõmunicationis mucrone in ſubſidiũ feriantur. Ac vt vnius pœna ſit metus multorum: in abſolutione obtinenda, conditione perſonarum penſata, publica pœnitentia arbitrariè ſtatuenda plectentur: inueteratiq; peccati vſus abſolutionem, inter caſus noſtro Epiſcopali iudicio reſeruatos, reſeruauimus.

CAP. XI.

INtrà fines cuiuſq; Parochię, ſi Vagi, vt aſſerunt, ſponſi inhabitare elegerint, ſollicitè Curatus perquirat, intrà menſem, de matrimonio contracto; quòd ſi cognouerit ritè fuiſſe cõtractum, quieſcat; ſin ſecus, certiores Nos reddere de incolatu debebunt, vt pro animarum bono ſubtilius inquiramus, ſi verè ſponſi ſint, an Concubinarij, indemnitatiq; animarum ſalutaribus remedijs occurramus.

CAP.

CAP. XII.

MAtrimonia iure ſacrorum Canonum,& ſacri Trid. præſertim, libera omninò, ac libero contrahentium conſenſu coniugẽda, quia nefarium eſt matrimonij libertatem violare, ideò temporales Dominos, magiſtratus,& quoſuis alios, terreno affectu,& cupiditate, oculos mentis obcæcatos habentes, à quibus, dum Iura expectantur, naſcuntur iniuriæ; minis,& pœnis matrimonia perficere attentãtes, ſiuè per ſeipſos directè, ſiuè indirectè per ſuppoſitas perſonas, & cauſas, quęſitos colores,& concuſſiones; mucrone excommunicationis, ipſo facto, Tridentina ſynodus percuſſit; qui ſi inciderint à Nobis dumtaxat erunt abſoluendi. Seſſ. 24. c. 9. de Ref. mat.

CAP. XIII.

EOs autem, qui odio, & liuore inuidię tabeſcentes, per diabolicas artes,& incantationes ſponſos ad inſaniam, furorem, & mutuũ inter ipſos odium, coeundiq; potentiam ligaturis eneruarunt, mandauerunt, procurauerunt, conſilium, & auxilium præſtiterunt, ſententia excommunicationis innodamus, à Nobis, vt ſupra,& non ab alijs, liberandos.

CAP. XIV.

COniugatis, ſinè legitima cauſa, coram Nobis probata, cum matrimonij iniuria, & populorum ſcandalo, cohabitationem deſerere, prohibetur omninò. Curatus, pietatis affectu, eos corripere non omittat; & non reſipiſcentibus deneget Sacramenta: & ſi obdurati perſtiterint, certiores Nos faciat, vt iuris remedijs, compellamus eoſdem.

CAP. XV.

NE, quod humaniter introductum fuit in aliquibus Parochialibus noſtræ Diœceſis, in extorſionis ſenſum cadere videatur, ſuper laudabili cõſuetudine ſoluendi à ſponſo externę Diœceſis, pro nuptiarum benedictione; altercationes immodicas reſecantes, pręſẽti ſtatuto inuiolabiliter cuſtodiendo, exactionem hoc methodo refrænamus: vt à nobilibus ducati quinq; à nobiliter viuentibus ducati tres; ab artiſtis, & laboratoribus, caroleni quindecim,& nõ vltrà, exigantur: pœna arbitraria contrà tranſgreſſores adiecta. Et ne cadat ſuper exactione cõtrouerſia, Curatus,& qui matrimonio, de ſuo mãdato, aſſiſter, ſi iure conſuetudinario, nunc limitato, in perſoluto, ſpõſos coniunget, Clero Parochiali, de ſuo, in pœnam, tantumdẽ exoluet.

CAP.

CAP. VI.

HAbeant tandem Parochi librum, in quo Coniugum, & teſtium nomina, diem menſem, & annum connotare poſſint, quem fideliter conſeruare tenentur, ne pro quibuſuis defectibus, redargui poſſint; quos ſi inſpexerimus negligentes, pœnam arbitrariam non euadent.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAP. I.

VErſutus humani generis hoſtis, mille modos nocendi habens, poſt caſum ſuum, etiam in Angelum lucis ſe transformat, vnitatemq; Eccleſiæ ſcindere, & humanũ genus conatur euertere; eoſq; magis impugnat, & circumuallat, quos Deo charos, familiareſq; cognoſcit, & ſicut leo rugiens circuit quærens, quem deuoret: & in terminis vicinæ mortis, quos perdere, & à fidei firmitate euertere poſſit, non ceſſat. Vndè morientibus Dominus præparat vnctionem, vt optimus Pater, omni tempore, noſtræ egeſtati ſuccurreret. Cùm extrema vnctio ſit vltimum Sacramentorum, & remediorum infirmi, conſummatiuum à patribus exiſtimatum: & Eccleſia Mater fidelium, hoc vltimo ſubſidiario Sacramento, reliquias peccatorum extinguere, & animas à periculo liberare per optat: Curati partes erunt vigilare ſuper animas morientium, nec tempus deſtitutionis, ſenſuſq; vi, & virtute dimiſſos, expectare; immò oportunitatem alloquendi, confortãdi, & alleuiandi languentem, requirat, ne eius negligentia in animarũ cedat diſcrimen, & in gehennis æternis, plagis plurimis crucietur.

CAP. II.

QVoniam verò in extremis poſiti horribilem dæmonum viſionẽ patiuntur, & tanquàm inimicorum cohors irruentium in ipſos, repręſentãtiumq; omnia pręteritę vitę peccata, quę fortiſſimos quoſq; contremiſcere, & pertimeſcere faciunt. Curati ideò priuſq uã ægroti oculi imprimantur, vultus palleſcat, genua congelentur, pedes emoriantur, & vox rauceſcat, ipſum abundè ſuadeant, vt ſe Sacramento hoc alleuiante, reficiat: Nàm labores, morbi incommoditates faciliùs feret, tentationibus Dęmonis calcaneo inſidiantis, fortiùs reſiſtet, & corporis ſanitatem, ſi animæ expedierit, conſequetur. Et ſi quem contigerit ex hac vita, negligentia Curatorum, ſinè hoc Sacramento migrare, ſuſpendentur per annum ab adminiſtratione Sacramentorum, aliaq; arbitraria pœna afficientur.

CAP.

CAP. III.

IN eadem tamen in firmitate,imminẽte mortis periculo, ſemel hoc Sacramentum prę ſtetur : at ſi in diuturno morbo, pluries de nouo periculum mortis inſurgat, ægrotus, etiam pluries in diſcrimine conſtitutus, vngatur : modo in nouo Rituali Romano ſtatuto. Infirmus verò, ſi morbi grauitate, ſanctum oleum petere nõ poſſit, ſi,cum poterat, huius Sacramenti auiditatem oſtendit, illudq; per ſigna, loquela priuatus,expoſcat,eidem ſacra hęc vnctio deneganda non erit.

CAP. IV.

PArochus igitur hoc Sacramentum miniſtraturus, Stola coloris violacei ſuper Cocta paratus, cum Clerico Cocta veſtito,facula in lanterna accenſa,ad vngendum infirmum migrabit; vaſculum olei, quo extremę vnctionis Sacramentum ad infirmos defertur, ſerica veſte, ſimilis violacei coloris, ad modum crumenæ confecta, veſtitũ, vt decenter ad Sacerdotis collum appendi poſſit, aſportetur; & reuerenter conſpectui infirmi præſentetur, goſſipium abſterſiuum conſeruetur in vaſe,& ſtatim in cineres,ſacrario recondendos, conuertatur.

CAP. V.

CVratus item, vncto infirmo, vſquè ad mortis, vel ſecuræ ſalutis euentum, & conſacerdotes adiutores experti, ne cæcus cæco ducatum præſtet, per horas alternatim aſſiſtant, partiendas, & incipiendas ab ipſo : vt de hac vita migraturo, orationibus, pijs monitis, ſanctiſq; auxilijs in periculoſo tranſitu præſto ſint.

CAP. VI.

OLeum ſanctum, & vaſcula grandiora ſacrorum oleorum, non in fonte baptiſmali, vt inuenimus, aſſeruentur; ſed in feneſtella firma claui concludantur, quàm in vnaquaq; Parochia deſignauimus viſitando, pannis ſericis introrſum muniendam : & qui Curati vſquemodo non paruerunt, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto ab adminiſtratione Sacramẽtorum in bimeſtri perficiant. Infirmum tandem, antequam animam agat, Curatus, & qui commendationis animæ officium habet, hortetur, & excitabit, vt cautus, & armatus contrà verſutias Dęmonis ſemper ſit, fideiquè clypeo munitus, meritis à Redemptore noſtro in flagris, & patibulo, à Beatiſſima Virgine, Sanctiſq; omnibus collectis, & non proprijs, quamuis pius, & fidelis ſit : & ſequentem proteſtationem, vocem ſequendo Curati, lingua materna emittat.

Modo

Modo di proteſtarſi, che farà il Moribondo.

IO N. miſero peccatore proteſto in preſenza della Santiſſima Trinità Padre, Figlio, & Spirito ſanto, di Gieſù Chriſto Crocifiſſo per li miei peccati, della Beatiſſima Vergine Madre Auuocata di me peccatore, di ſanto Michele Archangelo, dell'Angelo mio Cuſtode, di tutti gli Angeli, del Santo del mio nome, & di tutti i Santi del Paradiſo, di voi circoſtãti, che vi chiamo in teſtimonio di quel che dirò.

Proteſto prima di pigliare con tutte le viſcere del mio cuore queſta morte, di ſopportar volontieri, per amor di Dio, l'infermità, gli affanni, dolori, e trauagli che ſento, e le pene del Purgatorio, in pena, & remiſſione de'miei peccati, per tutto il tempo, che parerà alla diuina miſericordia.

Proteſto, che voglio morire, come hò viſſuto nella vera fede, che m'hà inſegnato la ſanta Chieſa Romana Cattolica, & Apoſtolica, e credo fermamente tutto quello, che eſſa tiene, & mi propone con tutti li dodeci Articoli del Credo, quale hora recito con eſſo voi.

Proteſto, ch'io confido nella bontà, & miſericordia del mio Signore Dio, la quale infinitamente auuanza la moltitudine, e grauezza de' miei peccati, & ſpero di potermi ſaluare ſicuramente, non per miei meriti, mà per i meriti del pretioſiſſimo Sangue, Paſsione, & morte del mio Signore Gieſù Chriſto, vnica ſalute dell'anima mia.

Proteſto, che perdono di cuore à tutti quelli, che m'hanno offeſo, & loro prego ogni bene, domandando loro perdono delle occaſioni, che gli haueſsi dato d'offendermi.

Proteſto, e domando perdono à tutti quelli, c'hò dato ſcandalo co'l mio male eſſempio; ò in qualunque modo offeſi con fatti, ò con parole nella robba, ò nell'honore, offerendomi prontiſſimo à dar loro quella conueniente ſodisfattione, che poſſo.

Proteſto humilmente proſtrato auanti del Crocefiſſo, gli domando perdono di tutto cuore di tutti i miei peccati, e negligenze cõmeſſe, contro di lui, contro me ſteſſo, e del proſsimo mio: diſpiacẽdomi ſopra tutte le coſe d'hauer offeſo il mio Creatore, e Redentore, per l'infinita ſua bontà, e per i beneficij ſingolariſsimi, che m'hà fatto, dolendomi di non hauer tanto dolore, & quella vera contritione, che deuo, e di non hauerli confeſſati in quel modo, che ero tenuto.

Proteſto, & ringratio con tutte le viſcere del mio cuore il mio Signore Dio, di tutti beneficij riceuuti, e che ſpero riceuere, ſendo infiniti, & inſieme ringratio tutti quelli, che m'hanno fatto beneficio ſpirituale, & temporale.

Proteſto,

Proteſto, & offeriſco al mio Signore Dio, tutte le sodisfattioni, meriti, dolori, e ſangue ſparſo dal mio Signore Gieſù Chriſto; i meriti della Beatiſſima Vergine Maria, di tutti i Santi, e ſerui di Dio, per la remiſſione de' miei peccati, & in rendimento di gratie de gli infiniti beneſitij riceuuti da ſua Diuina Maeſtà.

Proteſto, & humilmente ſupplico la Beatiſſima Vergine, l'Angelo mio Cuſtode, il Santo del mio nome, e tutti i Santi miei deuoti, con tutti gli Angeli, & Santi del Paradiſo, che m'agiutino in queſto pericoloſo paſſaggio, dell'vltimo punto della mia vita, e m'impetrino cō le loro interceſſioni, & meriti l'eterno riposo.

Proteſto, che ſe'l Signore permetterà, che ſia tentato dal Demonio contro la fede, contro la ſperanza, ò contro la carità, verſo Dio, del mio proſſimo, & contro quello, che fin quì hò detto, proteſto, & dichiaro di non volerlo aſcoltare, ne darli riſpoſta: & molto meno credere alle ſue inganneuoli perſuaſioni. E caſo, che con i ſuoi inganni m'induceſſe à conſenſo di peccato, prego, che ſia dell'intutto irrito, & inualido ogni ſuo ſforzo, in virtù del pretioſiſſimo ſangue di Gieſù Chriſto, e perche non ſarà mai libero mio conſenſo.

Proteſto, e raccomando la mia pouera anima nelle ſacratiſſime piaghe del mio dolciſſimo Sig. e miſericordioſiſſimo Gieſù Chriſto, le quali bacio, & abbraccio con tutte le viſcere del mio cuore, e coſi abbracciato, voglio viuere, & morire in quelle.

Prego tutti, che quando ſtarò penando, e nō potrò parlare, m'aiutino con le loro orationi, & offeriſcano al Padre eterno l'angonia, i ſudori, e paſſioni, che ſento: acciò vniti, con l'angonia, ſudor di ſangue, affanni, paſſione, e morte del mio Signore Gieſù Chriſto vagliano per la remiſſione de' miei grauiſſimi, & infiniti peccati. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

De Exequijs, & ſepulturis.

CAP. I.

IMmenſum Charitatis opus exercēt, qui pro defunctis fidelibus, vt à pænis peccatorū ſoluātur, Deū optimū maximū, piè, enixeq; exorāt. Nam hi, qui cū pietate dormitionē accipiūt, optimā habēt repoſitā gratiā. Nō abſimilē etiam, ſepeliēdo corpora, affectū merę pietatis oſtendunt. Curati igitur, Presbyteriq; omnes, pietate, eximiaq; charitate mortuos debent ſepelire, ab omnibus, quæ auaritię ſuſpicionem inducunt, abſtinentes. Solitæ tantum, & pluribus locis eleęmoſynæ conuentæ ſolutione contenti. A pauperibus aduenis, & peregrinis, non electa ſepultura, in matrici Eccleſia, cadauera ſepeliendo, nihil exigi; ſed illa gratis tumulanda eſſe mandamus. Mach. 2. cap. 12.

CAP. II.

NOn clamores, eiulatuſq; mulierum præſertim; ſed piȩ præces effuſȩ animabus fidelium proſunt. Curati ideò in Eccleſia potiſſimum, dum ſuper cadauera diuina perſoluuntur, morem plorandi, cum capillorum euulſione, cutiſq; genarum laceratione, conuellant. Vndè ne perturbentur diuina, ſecundo gradu coniunctas funus aſſociare prohibeant: & ſi monitȩ adhuc petulanter inſiſtant, quouſq; ad domum recedant, proceſſio gradum ſiſtat. Ac ſi fortè aliæ remotiores, in Eccleſia, dum diuina peraguntur, clamores emittunt, vel illas Sacerdotes eijciant; vel durante ſtrepitu à diuinorum præcatione deſiſtant.

CAP. III.

NEc ante Solis ortum, nec poſt occaſum illius, humana corpora ſepelienda permittimus, ſed ijs horis, in quibus Eccleſiȩ Officia conſueta minimè perturbantur: illaq; non ſtatim emiſſo ſpiritu; ſed horis ſex ad minus decurſis, tumulari mandamus. Quæ verò repentina morte expirarunt, duodecim horis non dum elapſis, ſepeliri prohibemus, pœnamquè carceris per ſex menſes contrà tranſgreſſores adijcimus.

CAP. IV.

CIrca Campanarum ſigna, tàm in expiratione languentis tintinnatim, vt requieſcat in pace, populus oret, quàm in Presbyterorum cõuocatione, pro funeris aſſociatione. Quid vbiq; conſuetum ſit, cuſtodiatur amuſſim: & per mediam horam antè, ſigno campanæ Præsbyteri, conuocentur; quiq; intererunt, bini Coctis parati, præuia Cruce Parochiali procedant. Curatus Stola ſuper Cocta paratus, nouiſſimum locum tenebit; qua ſemihora decurſa, abſentium portiones, intereſſentibus accreſcant: & ſeruent amuſſim nouum Rituale Romanum.

CAP. V.

ETiam ſi in Regularium Eccleſijs, teſtamento condito, vel oretenus, coram duobus teſtibus, ſepeliendi, ſepulturam elegerint, Regularibus ipſis in domo defuncti, defunctorum Officium, celebrare non licèt, cum ad Curatos, ſeculareſquè Presbyteros tantum, iure Parochiæ, ſpectet Officium. Parochus ideò, cum ſuo Clero, & Regularibus in Parochia vnitis, proceſſionaliter ad defuncti domum accedant, factoq; per ipſoſmet ſeculares Presbyteros reſponſo, ad

Eccleſiam

Eccleſiam Regularium, funus exequiando recto tramite, accedant, ac in foribus Regularium Eccleſię, perſoluta quarta luminarium Parochię, Parochus, & Clerus, profunda reuerentia emiſſa, funus exequiandum Regularibus ipſis remittant: aliàs Regulares eoſdem, cenſuris permiſſis coercebimus.

CAP. VI.

CVratis, Cleris, Cōfraternitatibus ſecularibus, cęteriſq; noſtrę iuriſdictioni ſubiectis, locū ſepulturę in Eccleſijs, cęmeterijſq; cōcedere, abſq; noſtro aſſenſu, interdicimus. Inſcriptiones, Epitaphia, non recognita, & approbata à Nobis ſepulchris collocari, & funeris geſta per rhetoricam artem laudari, arbitrarijs pœnis prohibemus omninò.

CAP. VII.

HVmata Defunctorum cadauera, etiam ad maleficiū necis probandū, exhumari, & à ſecularibus Iudicibus agnoſci, à Nobis in ſcriptis facultate non facta, pœna excommunicationis latę ſententię, contra exhumantes, mandantes, & permittentes, prorſùs vetamus.

CAP. VIII.

EPiſcopi Polycaſtrenſis nouiſſimo loco defuncti, vbi reſidemus, & à tota Diœceſi Anniuerſarium fieri pręcipimus, nàm humanę pietati congruit, ergà Paſtorem amiſſum, hoſtias, & prœces laudis Altiſſimo offerri, vt illius ſuſcipiat animam, pro qua memoriam facimus. Tertia die verò Nouēbris à Capitulo maioris Eccleſię pro Epiſcopis omnibus, Dignitatibus, & Canonicis prędefunctis, aliud Anniuerſarium; & à Curatis in Parochialibus, pro Epiſcopis, Curatis, & Præsbyteris prædefunctis, ſimile celebrari mandamus.

CAP. IX.

STatim ac Epiſcopus humanę carnis debitum ſoluit, ſolēnes exequię à Capitulo, & Miſſæ tres à quouis Sacerdote Capitulari, & Diœceſano, celebrandę erunt, & tàm à Capitulo, quàm à Cleris Diœceſanis, piæ deuotæq; preces ad Deum miſerentem fundendę ſunt: vt per ſuffragia eccleſiaſtica vnanimiter fuſa, anima illius ad æterna gaudia requieſcat in pace.

CAP. X.

CAnonici Cathedralis, tamquàm corporis Pręlati pars, Cadauer illius in ſepulturam inferre tenentur: & inter eoſdem Canoni-

L 2 cos,

cos honorabilis ipſa delatio ſeruetur,quàm inter Presbyteros,& Clericos reſpectiuè,ſeruari mandamus. Ac vt maior inter Eccleſiaſticos ipſos coruſcet, nullo iure perſoluto, ipſorum exequię celebrentur, & celebrari mandamus.

CAP. XI.

COnſimilem pietatem, & religionem in animas Presbyterorum decendentium,impendi peroptamus. Morem itaq;antiquiſſimum in Diœceſi,vt Sacerdos quilibet Miſſam vnam pro anima conſacerdotis defuncti celebrare teneatur; inconcuſſim ſeruari mandamus, & Miſſas celebrari præcipimus. Ideoq; vt celeriùs animæ ſuffragia conſequantur, onus Foranei loci erit, mortem per certum nũtium ſignificare,quo recepto, per loca totius Diœceſis, in gyrum litteras deſtinabimus.

CAP. XII.

ECcleſiaſtica ſepultura nonnulli ob culpas indigni priuantur. Parochi ouium commiſſarum prę manibus ſtatum habẽtes,quos prænoſcunt indignos, nequaquàm tumulari permittant,aliàs pœnarum,à ſacris Canonibus inflictarum,rei efficiuntur,& quandoq; pœnam excommunicationis incurrunt.

De Legatis Pijs.

CAP. I.

QVod Chriſtifideles Eccleſijs, pijsq; locis,pro peccatorũ expiatione relinquunt,inſtigante hoſte maligno,in animarum teſtãtium detrimentũ, à ſucceſſoribus occupatur, & retardatur. Cumquè animę fidelium,ſub pia protectione Paſtoris,à pœnis Purgatorij liberari peroptant, & dilatas defunctorum pias volũtates, Epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri, hoc moderamine grauatorum culpam reſarcire cenſemus: ſi teſtantium cadauera ſepulturæ non inferantur, niſi exemplum authenticum in folio à Notario, vel à quouis ſcribẽte exarandum, hæredum, grauatorumq; nomina,& pia tantùm legata complectens, Curato conſignetur, qui in fine menſis cuiuſq; quæ recepit ad noſtram Epiſcopalem Curiam tranſmittat, vt ad ſatisfaciendum grauati, præturæ viribus compellantur. Hac itaq; noſtra Conſtitutione, Curatis in vniuerſum præcipimus, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis per annum, aliaq; arbitraria, ne defunctos ad ſepulchra conducant, exemplo authentico memorato non habito.

CAP.

CAP. II.

PArochiani, ſi fortè coram Parocho ad pias cauſas, teſtamenta, donationes, & quaſuis diſpoſitiones, ordinare voluerint, Parochus ipſe nullo modò recuſet: & vt vota defunctorum adimpleantur, ſaltem duos teſtes adhibeat, diſpoſitionesq; redigat in ſcriptis, cautè regiſtrandas in libro, ad hoc peculiariter detinendo, vt ſcriptura, dictoq; duorum teſtium, in ore quorum ſtat omne verbum, ſemper fulciri poſſit. Qui verò quouis modo, has pias diſpoſitiones impedire, vel infringere præſumpſerit, anathematis mucrone ſe nouerit eſſe percuſſum.

CAP. III.

ECcleſiarum Rectores, Beneficiati quicumq; quiuè piorum locorum adminiſtrationem exercent, legata pia exigere, omni ſedulitate procurent; eaq; in Eccleſiarum, piorumq; locorum vtilitatem, quauis dilatione reiecta, ſtudeant applicare: nec ad alium vſum, quàm fuerint à teſtatore relicta, conuertant. Cumq; legatum, ſummam viginti ducatorum excedet, faciant Nos certiores, nàm de adminiſtratis omnibus, ſciant rationem coram Nobis, ſingulis annis ſe reddituros.

De Officio Parochi.

CAP. I.

COngregato Sacramẽtorum theſauro, miniſtris operoſis, & prouidis indigemus, qui illum optatis temporibus, pauperibus indigentibus diſpenſent. Magnum namquè Parochi opus ipſis commiſſum, agnoſcant; Dei miniſteriorum diſpenſatores effecti: quorum muneri ſuper oues paſcendas, vigilandi potiſſimum, onus incumbit, ne Dominicum gregem, dormientibus ipſis, lupus diſpergat, & mactet, ſingulaſq; noſtrę Synodi Conſtitutiones, quas damus, accuratè perlegant: cum in vniuerſum, pro maiori parte, regimen animarum concernant; quæ ſi ea, qua decet, pietate recipiantur, iucundius, & vtilius Nobis nihil euenire potuerit.

CAP. II.

PRoſpiciant potiſſimum à ſuis amari, vt in neceſſitatibus ad ipſos, quaſi ad ſinum matris recurrant, ne vitia, & peccata in animas radices iaciant: nam error, cui non reſiſtitur, approbatur. Et ſemper, cum manſuetudine corrigant, oleum vino permiſcendo; præiertim, quæ publica, & notoria ſunt peccata, alijſquè fidelibus per contagium noxia, Blaſphęmias, diuinam maieſtatem

irritantes

irritantes,magicas artes,diuinationes,ſortilegia,maleficia,ſuperſtitiones, vſuras,inceſtus adulteria, cōcubinatus, cæteroſq; carnis fætores pernicioſiſſimos, falſitates,& periuria,pro poſſe extirpēt; reſtitutiones famæ, & bonorum reſarciri, odia remitti,ad concordiam,vnitatē, & pacem, omnes vniri: ne ſanguine humano profuſo, tot inhumanitates, cum animarum iactura eueniant: nunquam ſpecifica perſona mōſtrata, & ſemper cautè loquendo. Coniuges, matrimoniali affectu, mutuoq; amore diligi; nec ab inuicem quouis prætextu diuerti; in gradu prohibito,ſinè Apoſtolica diſpenſatione,contrahentes,non connecti, & coniuctos ſeparari: fœſtos dies obſeruari, à ſeruilibus operibus,& laboribus ceſſari: immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam, non violari: bona Eccleſiaſtica,iura,& ſcripturas,nō vſurpari: ieiunia præcepta inuiolabiliter cuſtodiri, pro poſſe, procurēt: quia ſi hæc, tam grandia diſſimulabunt, nec nos certiorabunt, ſanguinem de eorum manibus, requiremus.

CAP. III.

Dominicis diebus, alijſq́, ſolemnioribus diebus,per horę tertiam partem,& non vltrà, commiſſum Populum, pabulo prædicationis,& ſalutaribus verbis, pro captu ipſorum, ex Euangelica parabola in parte proficua, materiam ſumendo, vel ad minus Euangelij
Trid. ſeſſ. 24.c.7.de Ref. ſeriem ad literam enucleando (vt teneri prædiximus) paſcant, & informent: fidei articulos,eorumq; verum ſenſum; Sacramentorum efficaciam,& frequentiam neceſſariam, inſinuent: bona facienda perſuadeant, mala fugienda,& declinanda interdicant: æterna præmia perfruenda à iuſtis, ſempiternoſq; cruciatus à damnatis luendos: & in timore Domini debere eſſe intentos. Ac vbi ſpiritualia exercitia deſunt,ex quibus hæc cōparantur, ex lectionibus ſpiritualium exemplorum adipiſcantur. Circa cenſurarum perniciem, & quæ mala ex illis proueniant, ac quomodò ſint pertimeſcendæ, aſſiduè rigoroſa verba profundant; & pariter,quę noſtris Synodalibus ſtatutis ad laicos pertinentibus, continentur abundè aperiant: vt per familiaritatem aſſiduam firmentur in cordibus ſubditorum, quos bonitatis, & probitatis exemplis, ſemper ad meliorem vitam perducant.

CAP. IV.

Parochis in ſuis reſpectiuè Parochijs patet aditus concionandi,nō alijs, noſtra facultate non habita, tàm in Eccleſiis, Oratorijs, Congregationibus,quàm in ædibus priuatorum,& vicis, ipſiq; quàm diligentiſſimè proſpicere tenentur, ne in meſſem propriam, alienæ falces

ſalces inuadant, aliàs arbitrariam luent pœnam: ac cum nemo prædicare poſſit, niſi mittatur, qui ſecus fecerit, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrat.

CAP. V.

NOn ſemel contigit in cubilibus infantulos à parẽtibus ſimul cubantibus opprimi, (ipſisq; inuitis) Parochi in negligentiã hanc & impietatem ſeuerè arguant pluries repetẽdo, ac ſuis minis excommunicationis pænam iungant, vt iniungimus, ne ad cõmune ſtratum condormientes admittant, eoſq; in nauiculas deputatas, ſeorſum, vſq; ad completum annum reponant.

CAP. VI.

INtendant inſuper Curati ſolerter, vt Sãctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & olea ſancta, piè, mundè, & reuerenter tractentur, conſeruenturq; & nouis oleis ſingulis annis Eccleſiaſtico more confectis, à Cathedrali accipiant; antiqua comburant, nec eis, ſub pœnis à ſacris Decretis inflictis, vtantur; quæ claui firma recluſa, nulli vmquam credantur: niſi honeſtis, & pijs Sacerdotibus, ſi eos abeſſe contingat. Vtquè Miſſarum, Anniuerſariorumq; cuiuſq; Eccleſiæ onera conſeruentur, & conſpiciantur: ac, vt par eſt, à debitoribus, iuxtà creditã fidem, exoluantur, vnicuiq; Curato, vt ſub pæna arbitrio noſtro taxanda, in Sacriſtia, tabellam omnia amuſſim cõplectentem, affigat; aliamq; nomina, & cognomina Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum ſeruitio mancipatorum cõtinentem, eoſq; ſuo arbitrio partitos, ne confuſio detrimentum immodicum afferat, pręcipimus. Et contra Clericos deambulantes, ſeruitiumq; non explentes, pœnarum ſuis locis inflictarum, Vicarius Foraneus exequutor auſterus exiſtat. Sacra Baptiſmatis vnda renatos, & ſingulis annis ſancto Chriſmate vnctos, matrimoniales denunciationes, matrimonium celebrantes, ab humano ſæculo migrantes, ad ordines ſuſcipiendos propoſitos, numerum animarum diſtinctum, & lucidũ, eorum nimirùm, qui ad Pœnitentię, & Euchariſtię Sacramẽta, quiuè ad vnum illorum tantum, vel ad neutrum admittuntur; diſtinctis libellis, Parochorum erit Officium, formulis inferius à Nobis extẽſis, annotare, ipſoſq; libellos claui recluſos, in Archiuio Parochialis Sacriſtię repoſitos cõſeruare. Caſus, & cẽſuras in Bulla die Cœnę Domini legi ſolita, Sanctæ Sedi, noſtroq: Epiſcopali iudicio in hac Synodo reſeruatas, ex Altari maiori, materna lingua, Dominica Palmarum, expleta Proceſſione explanare, vt agnitis ſcopulis cautiùs nauta declinet ad portum.

CAP.

CAP. VII.

AT, quia firmiùs eſt Conſilium, quod plurimorum ſentẽtijs cõprobatur,& in regimine animarum artium ſcientia,cum bonitatis exemplo, potiſſimum ſcientia requiratur, vt quoad fieri poſſit, celeriùs occurratur; cumq; ſemper electi culpa eligenti imputetur. Parochi ideò conſerentiam conſcientiæ caſuum, ſacras Miſſæ cæremonias, dignamq; pręparationem, diebus,& horis,vt preſcripſimus, operoſius procurare inſudabunt: defectus occurrentes extirpando,à pœnis, adiectis per hoc ſtatutum, non recedendo.

CAP. VIII.

CVrati proprium munus, intrà fines Parochiæ præſcriptos implere conentur, in alienam verò meſſem, nullo modo falcem immittant. Ac ideò in aliena Parochia, ſinè noſtra, vel Parochi facultate, numquàm Sacramenta miniſtrent; neq; Paſchali tempore alienis Communionem impartire licebit, nec pro adminiſtratione illorum aliquid expetere tentent: nam ſiquis aliquid audeat poſtulare,ſuſpẽſionis pœnã incurret,& arbitrio noſtro ſeueriſſimè punietur.

CAP. IX.

Trid. ſeſſ. 23.c.1.de Ref.

QVæ gregi neceſſaria ſunt, præſtari, & impleri, non poſſunt, niſi inuigilent,& aſſiſtant Curati; ideò intrà fines Parochię reſidere tenẽtur:ſecularibus ideò negocijs,& queſtionibus implicari,hucq; illuc vagari cauebunt: qui enim dignè Deo famulari exoptat, ſecularibus negocijs non reddat ſe implicatum. Ideò à cura abeſſe præter dies quatuor, idoneo Subſtituto relicto, ſinè noſtra facultate, pœnis grauiſſimis interdicimus.

CAP. X.

ETiã,vt propriũ munus agnoſcant à prægnãtibus puerperio proximis,& à puerperis Sacramentalẽ Confeſſionẽ emitti:illæ,quia tam grande periculum ſubeunt, eæ quia à malo ſunt liberatæ,& gratias Altiſſimo perſoluere debent. A languentibus cunctis,non minus quàm medici corporalem languorem curantes, curas, & ſollicitudines temporales reijci, totamq; mentem ad Animæ ſalutem, ac ad erratorum indulgentiam erigi, triſtitiamq; de temporalium amiſſione propelli,æternaq; fidei firmitate ſperari,& de temporalibus domeſticis bonis diſponi,computaq; ſtrictè diſcutienda adæquari,amabiliter tractent.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

Vos etiam admonere non ceſſent, ne ab indice Sacræ Congregationis libros improbatos quouis modo retineant, vel legent; imò Nobis celeriter reuelare teneri, ne illorum lectionibus mentes, animæq; fidelium corrumpantur, ſuadeant. Spiritualium librorum lectiones haberi frequenter, vt Sanctorum exemplis, ad Cæleſtia inſtruantur abundè.

CAP. XII.

Redemptoris noſtri Crucifixi, aliorumq; Sãctorum ſacras Imagines depictas retinendas, quibus de mane, & ſerò deuotas preces offerendas eſſe, commendet: nàm Sanctorum patrocinijs fideles à cunctis malis, & periculis liberantur. Aquam exorcizatam, rituquè probato benedictam, quæ venialia abluit, Satanam fugat, & ad ſpiritualia inflammat, à fidelibus in domibus habẽdam eſſe, laborioſè demonſtret, ac à ſomno expergiſcentes, & cubitum euntes, Altiſſimo, Angelo Cuſtodi, & Sanctis intercedentibus, cõmendent animas ſuas. Vſurarios, Concubinarios, & publicos peccatores facculis in fæſto Purificationis Sanctiſſimę Virginis, palmis in Dominica Palmarum, domorumq; aſperſione, de more probato, omninò priuabunt.

De Officio Vicarij Foranei.

CAP. I.

Paſtorale onus expoſcit, vt quæ Paſtor perſonaliter perficere nõ poteſt, prouido miniſtrorum auxilio perficienda procuret. At cùm noſtræ vigilantiæ ſtudium in ſingulis Diœceſis partibus, per abſentiam, applicari non poſſit, Foranei vbique Vicarij deputantur, qui vigiles commiſſi gregis ſemitas obſeruabunt, & ſi emendãdos, & corrigendos exceſſus inſpexerint, Antiſtitem certiorabunt, qui penſatis penſandis emendabit, & corriget: nam, qui negligit emendare, cum poſſit, participem procul dubiò ſe facit delicti, quod non emendauit. Præcipuum igitur horum Officium erit, vt quæ in Synodo, & Viſitatione ſtatuta ſunt, & de cæterò, vt res exegerit, ſtatuenda erunt, ad vnguem ſtudeant obſeruari.

CAP. II.

Oculos habeant non conniuentes, nùm Curati circà animarum curam, Preſbyteri, & Clerici ad ea, quæ ſpectant ad ipſos, vigi-

 lanter

lanter incumbunt: ſi eorum Eccleſijs reſidentes aſſiſtant, illarumq; ſeruitio vacent: quàm vitam ducant, & mores compoſitos habeant: ſi decentibus veſtibus ornati incedant, & tonſurati: nùm ſcholis indigentes, in illis ſe exerceant: quos luſores nouerint, & alios ſcandaloſè viuentes, delinquentes, ſignificare non differant: reſpectu, conniuētia, amicitia, & ſubornatione reiectis omninò. Ac ad omnia quæ ad teſtium Synodalium Officium pertinere dicemus, intendant, Noſq; reddant de omnibus certiores, quæ correctione, & emendatione indigere videbunt.

CAP. III.

PRo facultate concedenda diebus fœſtis vendendi bona, vel ſeruile aliquid faciendi, etiam in caſibus licitis vendendi, & laborandi, ſub pœna arbitrio noſtro ſtatuenda, Vicarij Foranei aliquid, nec ſpontè oblatum, accipere poſſunt; quia noſtram perſonam induunt, & incorruptam ſeruare tenentur.

CAP. IV.

PAtrato delicto, ſi factum leuioris conditionis eueniat, ex Officio informationem formabunt, & multò magis, ſi porrigantur querelæ, & accuſationes; teſtes quam diligentiſſimè recipiendo, eoſq; interrogando, vt facti ſeriem concludenter deponant; quas depoſitiones clauſas per fidelem nuncium, quàm primùm, & non pigritanter, tranſmittant. Si delictum ſit grauè, & factum implicitum, ſtatim Nos, vel Generalem Vicarium certiorabunt. Cui muneri, ſi negligenter, aut fraudulenter ſatisfecerint, pœnam, arbitrio noſtro decernendam, non euitabunt.

CAP. V.

SI pignora cōtrà fœſtorum dierum violatores abſtulerint, vlteriùs, Nobis inconſultis, procedere prohibemus. Et contrà reſiſtentes pignorum captioni, ſufficienter inquirant, vt noſtræ Iuriſdictioni Epiſcopali, quò minus ea liberè vtamur, impedimenta præbentes, iuxtà Canonicas ſanctiones, ſeuereſſimè ſaucientur. Qui autem præcepta hæc paruipendet, pœna carceris, arbitrio noſtro, punietur, & vt indignus ab Officio remouebitur.

CAP. VI.

CAuſarum ciuilium cognitionē, ducatorum quatuor noſtræ monetæ non excedentem, in noſtros ſubditos, cum omnimoda

noſtra Iuriſdictione,& nõ vltrà,cõcedimus. Et ſi Foraneus Iuris profeſſor non ſit, Doctoris votum, ſuo arbitrio eligendi, adhibeat, & ex non ſcripto procedat. In cauſis ſupra ſummam à noſtra Curia committendis, cum voto, vt ſupra, procedat, partibus non ſuſpecto, ſeruata ſemper in ſportulis noſtri Epiſcopalis fori taxa mercedis. At ſi in cauſis criminalibus, extrà locum proprium, informationes committendæ erunt, pro qualibet dietà, deductis expenſis, quinque tantum carolenos accipiat.

De Officio Cantorum.

CAP. I.

CVm in vniuerſum noſtræ Diœceſis Parochiales receptiuæ ſint, earumq; Cleri numerus non breuis exiſtat, prouida cura Pontificum introducta fuit vtilis,& laudabilis conſuetudo, ad Collegiatarum inſtar pſallendi in vnum, & Canonicas horas per hebdomadas partitas perſoluendi, concinendiq; Quę, vt in concentum ſonorum omnia benè diſponerentur,& ordinarentur, in vnaquaq; ipſarum, creati Cãtores honorarij ſunt, qui Archipresbyteris, Curatiſuè ſubeſſe pernoſcãt, ſicut in Cathedralibus Archidiacono Primicerij ſubſunt. Videant hi, quantum onus Officij portant: cum aſſiſtentiam reuerentialem, vocum modulatione, Deo procurare teneantur; nam ſi in Choro laudant, laudare; ſi gemunt, gemere; ſi minantur, timere; ſi iubent, ad obediendum paratos ſe exhibere debebunt; & quod ore proferunt, in corde ſentire conentur. Oſtendant ſe ſemper modeſtia, & grauitate compoſitos; notitiamq, rubricarum noui Miſſalis Romani, & cæremoniarum, ſacrorumq; Rituum, ſedulò acquirant: Cum quaſi cæremoniarum Magiſtri, Canticis ſolum non contenti, in Veſperis, Miſſis ſolemnibus, omnia circumſpiciendo, ſuoquè loco apparata dirigant, & diſpenſabunt.

CAP. II.

CAntores, noſtris Decretis, quę de horis Canonicis ſupra edidimus, ſtudeant impigrè obſeruari. Ac ne in Choro communi vſui Ordinarium [Romanum purgatiſſimum, Breuiarium modernũ grande, in lectorino collocandum, Martyrologium, cum Eminẽtiſſimi bon. mem. Baronij lucubrationibus auctum, Antiphonariũ, Graduale, & Veſperale, firmis paginis deſiderentur; vtq; in Choro pſallentes, ſuis proprijs locis contenti, huc illhuc curſitare nõ poſſint, lo-

cutionibus, riſibus, omniq; irreuerenti actu reiecto, modò, vt præcipitur, ſtantes, modò ſedentes, piam compoſitionem oſtendant. Omneſq; tàm Presbyteri, quàm Clerici, in functionibus Eccleſiaſticis, Cantorum iuſſibus gaudenter obtemperare curabunt: ijquè modeſtè nimis imperare debebunt.

CAP. III.

PRæcipua Cantorum cura ſit, dum in Choro diuina Officia perſoluuntur, Miſſæq; ſolemnes, & conuentuales celebrantur, vt fores Chori, cancellatę obſeratæ conſiſtant, ne oculi vbiq; vagantes, venenum culpæ, cum animarum læſione ſuſcipiant: neuè laici, cuiuſcumq; conditionis exiſtant, Presbyteris permiſceantur: quia tympanum ſecularium, cum cithara Eccleſiaſticorum non benè concordat: illos tamen non irritanter, ſed modeſtè moneant: & ſi ſic moniti, tàm petulanter perſiſtere non verecundantur, eoſdem rebelles ſententialiter excommunicamus, abſolutionemq; Nobis reſeruamus dumtaxàt. At ſi Cantores, in gratiam, contrà hęc conniuere præſumpſerint, eoſdem, ipſo facto, eadem cenſura ligamus.

CAP. IV.

NOn minus eſt neceſſaria Eccleſiaſticis Muſica, quàm litteratura. Curæ ideò pręfatorum Cantorum potiſſimùm conuenit, vt omnes de Clero Gregoriano cantu (quem firmum, ſiuè planum appellant,) tàm ſufficienter inſtructi, boniq; Cantores ſint, vt dulcioribus modulationibus, potius Deum laudent, & fideles alliciãt, quàm inordinatis vociferationibus riſum prouocent populorum. Quę omnia benè diſpoſita, vt dirigantur per ſe ipſos, ſi artem poſſideãt, ignaui edoceantur, & ad concentum concordentur, honeſta perſoluta mercede: ſin ſecus, vbi eorum arbitrio ſupra decem erunt inſtruendi, Muſices moderator vocetur, illorum ſumptibus compoſitiuè alendus, & præter aliàs prouiſiones in Viſitationibus emanandas, quos in ſacris ordinibus ſuſcipiendis rudes videbimus, quouſq; inſtruantur abundè, reijcientur omninò.

CAP. V.

VEſperæ, Miſſęq; omnes ſolemnes, & functiones in Parochialibus à Parochis cantandæ ſunt; ijſq; deficientibus, morbo, abſentia, alioq; impedimento detentis, Cantores eorum locum occupabunt: ipſiſq; Cantoribus, tàm in ſurrogatis functionibus, quàm in proprijs muneribus, abſentibus, vel impeditis, antiquior ex Presbyteris, in vnaquaq; Parochiali onera Cantoris ſubibit.

De

De Officio Sacriſtæ.

CAP. I.

SAcerdotalium indumentorum ſupellectili nitida Eccleſię ſplendor, & decor ſemper augetur. Continuum itaq; ſtudium Sacriſtæ in eò potiſſimùm applicari debet, vt totiùs theſauri Eccleſiaſtici, vaſa ſacra, cruces, thuribula, veſtes Sacerdotales, aliaq; ornamenta, ſuis dedicata miniſterijs, ita decentia, nitida, munda, politauè conſiſtant, vt reuerentiam animorum potius componant, quàm modo aliquo ſtomachum faciant. Hac nimirùm de cauſa, ſacrorum Canonum prouiſione, Sacriſtę, & Cuſtodis Officia, per quàm neceſſaria ordinata fuere: in noſtris tamen paruis Eccleſijs in Sacriſtæ Officium omnia copulata.

CAP. II.

SAcriſtæ onus in Eccleſijs laborioſum, exoſumq; recipitur, quia obſequium, & famulatum, præſertim Deo præſtari, nemo recogitat. Cumq; onera partita facilius euehi conſpiciantur, in vnaquaq; Parochiali, ſingulis annis, in fœſto Aſſumptæ in Cælum Sacratiſſimæ Virginis noſtrę tutelaris, in Sacriſtia conuocatis Presbyteris, & in ſacris conſtitutis, modeſto ſilentio, ſecluſis ſibilis, & clamoribus, noui Sacriſtę electionem fieri mandamus; qui prima ſequentis menſis ſeruitium inchoabit: electio autem arbitrio Curati fiat, ſiuè per ſecreta ſuffragia, ſiuè per ſortes: ſemper ab electione immunes Presbyteri ſupra quinquageſimum annum; eaquè electio omnes circumuoluat, vt detur vacatio munerum ijs, qui laborauerunt. Electus verò, qui ſupra ſuam integram diſtributionem, dimidiam partem, quàm vſquemodò lucrifecit; & ſi non Sacerdos eligatur, diſtributionemq; conſequi non poſſit ordinariam, eidem non denegamus dimidiam. Quiuè electus exercere recuſauerit, annalem carceris pœnam, aliamq; arbitrariam non euitabit.

CAP. III.

ECcleſiam mundam ſeruare curet Sacriſta, quam die Sabbati cuiuſq, hebdomadæ ab immundirijs, aranearumq: telis expurgare non ceſſet; aquam Eccleſiaſtico ritu benedictam renouet; lauacrū aquæ plenùm in Sacriſtia, pro purificandis Sacerdotū manibus, antè, & poſt Sacrificiū Miſſæ, cum manutergio mundo aptatum prępareт ſemper; Altarium linteamina, & linea indumēta, pro arbitrio alternētur, & quę cōſpexerit cōſpurcata, purificāda trāſmittat, & mūda ſurroget, illaq; meliora diebus fœſtis apponat. Corporalia, pallę, & purificatoria

CAP. VII.

SAcriſta tandem, ne aliqua paruæ erogationis Sacriſtiæ reficienda deficiant, Curato neceſſaria inſinuet: , qui ſi auarè nimis, à Cleri Præpoſito refici non curabit, arbitrarijs pœnis punietur.

CAP. VIII.

NE ſacra ſupellex, per manus diuerſas diſcurrens, detrimentum aliquod patiatur, curet Eccleſiæ Rector quotannis bonorum inuentarium confici, cum obligatione Sacriſtę, de fideliter reſtituendo: quod à nouo Sacriſta renouetur, ipſo Curato aſſiſtente, & quę vſu conſumpta repererit, connotabit, ſicut de nouo confecta deſcribet.

SESSIO III. HABITA DIE PRIMA IVLII.

De Officio Procuratoris, vel Syndici Cleri, Præpoſiti nuncupati.

CAP. I.

COmmunes Eccleſiaſtici redditus, niſi vnius prudentis, & benè præpoſiti regimine gubernentur, exigantur, & conſeruentur, negligerentur omninò. Ideò, quæ collegialiter poſſidentur, manu vnius Syndici rectius adminiſtrantur: & ſicut in priuatis rebus, qui ſuis ſupereſſe nolit, vel non poſſit, per Procuratorem agere, & conuenire decernit; ſic in rebus, quæ ſunt iuris publici, Syndicus Aduocatus conſtituitur, & refert maximè à Syndico Cleri, ſolerti ſtudio, Eccleſiaſticos redditus exigi meliores, ne per diuerſas manus efficiantur deteriores.

CAP. II.

LOcationes Eccleſiaſticorum bonorum, locorumq; piorum vltrà triennium, ſicut ſacrorum Canonum diſpoſitione vetatur, ita pariter interdicuntur à Nobis, ſub pœna ab ipſis ſtatuta. Syndici itaq; Eccleſiarum Beneficiati, Confraternitatum, montiumq; pietatis æconomi, nec non ſecularium piarum Congregationum Præfecti, Hoſpitaliumq; Magiſtri, & Adminiſtratores piorũ locorum, qui triẽnalem metam in locationibus non poſſunt excedere; quando bona ſub eorum cura, reſpectiuè locare voluerint, meliorem Eccleſiarum, piorumq; locorum conditionem efficere inſudabunt, ac, vt in priuatis proprijs, ſe diligentiores oſtendant. Ad ſecludendam verò fraudem, omnemq; colluſionem, & cuiuſuis fraudis, & colluſionis ſuſpicionem, ſuper oblationibus candelam accendant, die fœſtiuo, poſt

Ve-

Veſperas decantatas, ante fores Eccleſiæ, & idoneiori plus offerenti, cum fideiuſſore tuto, liberentur. A quibus locationibus noſtros ſubditos arceri non conuenit. Syndicus verò directè, neque reuoluto mantello, per ſuppoſitas perſonas locationes accipiat, nec ſuis conſanguineis, & affinibus, vſque ad quartum gradum incluſiuè, liberabit eaſdem; à quibus etiam beneficiorum Patronos arcemus. Quod ſi compertum fuerit Syndicum aliter perperam egiſſe, falſi extraordinaria pœna plectentur, & locationes irritæ ſint eò ipſo.

C A P. I I I.

Trid. ſeſſ. 25 c. 11. de Ref.

Frumentorum exactiones ex prædijs locatis, annuis præſtationibus, & ex decimis coaceruandæ; cenſuum, obuentionum, redditu um, & decimarum recolligentiæ à Syndico Cleri in communem maſſam redigantur; frumento in loco adid deputato, ne purgatum alij accipiant triticum, alij lolium. Ac, vt deducatur quarta concordata menſæ Epiſcopali perſoluenda; & è pecunia eidem menſę, Seminario, & ſpolijs debita onera, tamquā æs alienū ſubtrahatur; & quod deductis oneribus ſupererit diuidi poſſit inter Presbyteros ſeruiētes: licentiā tamen diuidēdi per capita, in fine anni Curatis, ſi ita viderint expedire, non denegamus; eos autem ad ſatisfaciendum de proprio obnoxios volumus remanere prænarratis oneribus, & alijs euenturis.

C A P. I V.

Ratiociniorum accepti, & expenſi, clarum, & lucidum librum Syndicus ipſe formabit: vt, decurſo ſuæ adminiſtrationis anno, partitas calculandas, & ſubducendas, ratiocinatoribus exhibeat; & ſi alicuius ſummæ debitor declarabitur, ſoluat poſt menſem: aliàs ipſo non citato, litteris ſignificatorialibus oſtenſis, per prius ſibi notificatis, exequutiuum mandatum realiter, & perſonaliter à noſtra Curia relaxetur. Excuſantur tantummodo ab onere Syndicatus Parochi, Vicarijq; Foranei, qui tot grauati oneribus, releuantur ab iſto; & ſenes ſupra ſexageſimum annum, ſenectutis morbo laborantes, & doloribus inuoluti; & qui Curati arbitrio idoneus non iudicabitur: qui enim domui ſuę pręeſſe neſcit, quomodo Eccleſię Dei, miniſtrorumq; diſtributionem diligenter tractabit? Singulis autem annis, forma hac præſcripta, Syndicum eligi mandamus. Conſueto cuiuſq; Eccleſiæ tempore, conuocatis per diem antè Presbyteris, & in ſacris conſtitutis, ſignata hora, precibus in Sacriſtia ad inuocandum ſancti Spiritus gratiam, recitatis, circumſedentibus omnibus: ſi Cleri capita ſunt ſupra decem, Syndicus ad expeditionem paratus, tres nominare; ſi verò

infrà

Digitized by Google

infrà decem duos ſimiliter nominare potuerit, qui in faciem vniuerſorum,conformibus chartulis in buxula ſecreta rēcondendis, deſcribantur, manuq; Curati chartulæ extrahantur ab illa,& qui primo in lucem venerit,ſarcinæ onus ſubibit. Ac vt locum habeat vacatio munerum, inhibemus expreſsè in ſortem remitti,qui vices ſuas expleuerunt, niſi finito circulo perſonarum; & qui electus ſeruire renuerit, à participatione diſtributionum, vociſquè actiuæ, & paſſiuæ remaneat ſemper excluſus, arbitrarijſq; pœnis afficiendus.

CAP. V.

TEnues adeò ſunt redditus decimarum perſonalium,itemq; prędialium, Parochialibus, pijſq; locis fructus omnes reſpondentes, vt vix miniſtri ſuſtentētur ex illis: nihilominus debitores, Domini timoris obliti,Eccleſias ſpoliare,denegando,vel differendo ſolutiones, miniſtros Altaris à diuinis ſeruitijs diſtrahere, eoſquè multoties male tractare,non verecundantur. Ideò,quæ tàm attentè, & circumſpectè hac in re noſter Prædeceſſor ſtatuerit,verbo tenùs inconcuſsè, vt infra, obſeruandum præcipimus.

CAP. VI.

VT cautius Parochialium Eccleſiarum, & piorum omnium locorum indemnitati, atquè aliorum, qui decimas, vel pretium aliud Eccleſijs debent, ſaluti conſulatur, iubemus omnium Eccleſiarum præpoſitis, alijſq; locorum piorum Procuratoribus, ſub viginti quinq; librarum ceræ albæ pœna, ſingulis cuiuſuis anni primis Quadrageſimæ Dominicis exhibere Cōfeſſarijs,etiam Regularibus,ſchedulam eorum nominibus connotatam, qui non dum conſuetas decimas,cenſus,vel pretium aliud totū Eccleſiaſticis perſoluerunt, vt Sacramentalis abſolutionis beneficium eis numquam impendatur, niſi exactè ſatisfecerint: dummodo eis ſuppetat, vndè Creditoribus per nomina reſpondeant; quod ab Epiſcopo determinādum eſt; ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione Sacramēti Pœnitentię,cōtra Confeſſarios,qui cōtra faxint,& Eccleſiarum debitores aliter abſoluerint.

De Bonis Eccleſiaſticis, & Iuribus Eccleſiarum.

CAP. I.

TEmporalem adminiſtrationem,non dominium, ſuper Eccleſiaſticis bonis Eccleſiarum Rectores à Domino accepiſſe praenoſcant; villicationis itaquè rationem puris manibus reddere cupiētes, Ieſu Chriſti patrimonium eorum fidelitati commiſſum,vt integrū conſeruetur, omni conatu intendant, quod ne faciliter vſurpari con-

tingat, Beneficiati, Syndici, ſiuè Procuratores, Magiſtri, adminiſtratores, & Oeconomi locorum piorum, omnium bonorum, cenſuum, iurium, & actionum ad Eccleſias, & pia loca ſpectantium, immobiliumq; finium oſtenſione deſcripta, inuētarium conficere teneantur, in quo pariter bona, quæ ſingulis annis, Eccleſijs, & pijs locis, ex quibuſcumq; titulis accreſcent, Beneficiati, ijdemq; Amminiſtratores cōnotabunt, ſucceſſoribuſq; conſignabunt: quiquè hæc monita negligenter omittit, negligentię qualitate ponderata, grauiter, arbitrio noſtro, plectetur.

CAP. II.

ANno, menſe, & die, ſub quo Pontificatu Inuentarium ſumet initium: mox vaſa ſacra, calices, tabernacula geſtatoria, thuribula, Cruces, paramenta prætioſa, ſerica, linea, & alterius cuiuſcumquè materiæ, candelabra, omniaq; Eccleſiæ ornamenta, libros muſices, Breuiaria, Miſſalia, Ritualia, Martyrologia, Officiorum ordinaria, organa, tintinnabula, campanas, deſcribāt; quorum omnium ſpeciem, qualitatem, quantitatem connotent. Inſuper animalia, quæ poſſident, numerum, qualitatem, ſignum impreſſum, quantiq; eorum fructus exiſtant, notabunt.

CAP. III.

STabilium Eccleſiæ rerum, omniumq; piorum locorum, Inuentaria ad firmiorem rei memoriam, vt in Epiſcopali Archiuio maiori ſecuritate conſeruentur, Archidiaconus pro Capitulo, Parochus pro Parochia, & quiſuis Beneficiatus pro ſuo beneficio; œconomus pro Hoſpitali, pioue loco, & Cōfraternitas intrà menſes quatuor, poſt præſentis Synodi publicationem, ſub pœna librarum ceræ albæ elaboratæ quinquaginta, pijs vſibus applicandarum, & excōmunicationis in ſubſidium; Inuentarium bonorum Capituli, Parochialium, Beneficiorum, Confraternitatum, Hoſpitalium, & Piorū locorum, quilibet reſpectiuè conficere debeat, deſcribendo bona ſtabilia per corpora ſeparata, vbi ſituata, confinia omnia, cum nominibus confinātium, valorem in proprietate vniuſcuiuſq; corporis ad arbitrium, & quos fructus faciant; domos item, in quo conuicinio, collaterales ab omni latere, membraq; domorum, fructus annuos, & valorem. Canones item Emphyteuticos, cenſus perpetuos, cæteroſq; redditus, iura, & actiones, quo titulo prædia poſſideant; quoad fieri poteſt explicato, ſi ex teſtamento, nomine teſtatoris expreſſo, Notarijq; rogati, contractum, aut teſtamētum, anno, menſe, dieque appo-

ſitis,

ſitis, omniaq; contenta in libris, Plateas vulgò nuncupatis: ac in eodem Inuentario decimas perſonales, & prædiales, à quibus, cui, & ad quam rationem illarum ſolutio ſit facienda; connotando onera inſuper, ſi quę ſunt, ad Beneficiatum, vel ad alios nominatos reſpectiuè ſpectantes, & Miſſas præſertim, quod, vbi, & quādo, eoſdem celebrādi onus grauet, in ipſo indice volumus explicari. Quæ inuentaria in vnum collecta in codicem maximū cum ſuo repertorio componi curabimus, eumq; claui firma recludendum, vt præter ipſius inuentarij firmitatem, neceſſitatibus euenientibus, confugiamus ad ipſum.

CAP. IV.

VT, comminatis monitionibus, rectiùs peccata vitentur, contra bonorum Eccleſiæ occupatores, & inuaſores, ſingulis annis, quando excōmunicationes Synodales in quacumq; Parochiali, frequentiori Parochianorum conuentu, publicantur à noſtris Vicarijs Foraneis; Decretum ſac. Trid. Concil. Seſſ. 22. de Refor. cap. 11. lingua materna conuerſum, attentè legi mandamus: nam audita excōmunicatione Papali contrà occupantes, & vſurpantes bona, iura, actiones, fructus, emolumēta, obuentiones, ſubuentiones, cenſus, redditus, Inſtrumenta, acta, ſcripturas publicas, & priuatas, iuriſdictiones Eccleſiæ, vel cuiuſuis pij loci, per ſe, vel per alios, directè, quacumq; arte, & quæſito colore in proprios vſus conuertentes, abſtinere omnes à reatu, & laqueo prædictis in Domino ſperamus.

CAP. V.

BOna inſuper per Eccleſias olim, pioſuè locos poſſeſſa, quæ hodiè ad alios tranſiſſe videmus; in inuentario Beneficiati, Adminiſtratoreſuè, adiecta cauſa, ſi ſciri poteſt, qua bonorum poſſeſſio reperitur tranſlata, adnotent; ſcripturarum de his apparentium, cum data, cæteriſq; prædictis, expreſſa mentione peracta. Eccleſiarum bona ſtabilia, itemq; pretioſa mobilia per Beneficiatos, ſeù per quorūcumquè piorum locorum miniſtros, & ſe mouentia, nullo modo vendantur, niſi legitima cauſa cogēte, cum ſolemnitatibus à ſacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus requiſitis, obtento Sanctę Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, illoq; purificato. Quiuè contrà fecerint, contractus nulliter contraxiſſe cognoſcant, realiſq; traditio ſi fuerit in alienatione ſequuta, pœnas contentas in Extrau. Ambitioæ de rebus Eccl. non alienādis incurrent; & clauſula reſeruationis aſſenſus Apoſtolici in hoc caſu minimè ſuffragetur, niſi cum effectu fuerit realiter expeditus; & per Cōmiſſarios deſtinatos, illius executio concedatur.

Sac. Congregatio Epiſc. declarauit 22. Maij. 1601.

Terrulas verò, aut vineolas,ſiuè domunculas, Eccleſijs minus vtiles, valorem viginti quinquè ſcutorum auri non excedentes, ſi inutilitas, & Eccleſiæ neceſſitas comprobentur, noſtro ordinario aſſenſu commutari, cenſuari,& vendi poſſe declaramus.

CAP. VI.

DEcimas Eccleſijs debitas non ſoluentes,& defraudantes, quiuè illarum ſolutionem impediunt; nec non annuos cenſus, etiam pijs locis retardantes, vt hactenus, præter iuris aſſiſtentiam, probauit vetuſtiſſima conſuetudo, excommunicentur.

CAP. VII.

PRiores, Procuratores, omniumq; piorum locorum adminiſtratores, vbi venerint eligendi, per vota ſecreta ſemper eligantur, aſſiſtente in electione noſtro Vicario loci; ſintq; viri facultatibus idonei, integræ famę,& bonæ conditionis:& de benè adminiſtrando,ac in fine Officij annalis, coram rationalibus à Nobis deputandis, computa lucida,& iuſtificata,exhibere iurabunt in manibus ipſius Vicarij: & antè pręſtitum huiuſmodi iuramẽtum, ab Officij adminiſtratione, abſtineant. Quiuè,redditis rationibus,debitores inuenientur, niſi infra menſem,debitum integra ſatisfactione perſoluant,inhabiles in futurum ad eaſdem, & ſimiles adminiſtrationes declarantur: & ad ſoluendum cẽſuris compellentur. Eccleſię pecuniam nemini,nec Vniuerſitatibus mutuare valebunt, Nobis inconſultis,& qui contrà fecerint, poenam inhabilitatis incurrent, & damna reſarcire tenebuntur.

De Montibus Pietatis pecuniarum, & frugum in pauperum alimoniam,Confraternitatibus, Hoſpitalibus, alijſq; Pijs laicorum locis.

CAP. I.

OMnia à diuina volũtate pendent, & ab illa eſſe tùm proſpera, tùm aduerſa,ergà homines prouidentiam exercendo, qua alijs occurritur omnibus;& Deus ipſe Rector,& potens eſt, qui temperat vices fertilitatis, & ſterilitatis, qua populi ex reatibus affligũtur. Hac de cauſa ne inualeſcentibus penurijs pauperes fame opprimerentur, Gen.c.41 induſtrij,ſapienteſq; noſtri veteres, qua vſus fuit prudẽtia Ioſeph vniuerſæ terrę Aegypti præpoſitus,ægyptiaca lingua Saluator Mundi à Pharaone nuncupatus, ne Populi famelici perirent; eadem penè in vnoquoq; loco noſtrę Diœceſis vſi ſunt,& pios Montes pecuniarios, itemq; frumentarios, in pauperum alimoniam coaceruauerũt, è quibus

bus egeni inopiæ malum temperarent,& quanta illorum induſtria, prouidentia,& pietas fuit eximia, tanta temporibus hiſce,calamitatibus redundantibus, ad diſſipandum, & diſpergendum auiditas attrectatur à Nobis, qui pios Montes pecuniarios, & frumentarios, pietate,& charitate in pauperes Chriſti non vidimus gubernari,cum penè diſſipatos inueniſſemus, noſtrorumq; Prædeceſſorum ſtatuta, quamuis ſalubria, parùm profecerunt. Erogantur enim pecuniæ, & frumenta, multoties non egenis; & quod durius eſt, reſtitutionis oblitis, pauperesq; egeſtate præmuntur, & Montes,qui ex collatione bonorum coaceruantur, per retentionem diſſipantur. His itaq; malis occurrere deſiderantes,cùm pauperum paterna,& peculiaris cura Nos præmat, hæc ſalubria ſtatuta damus, ab omnibus inconcuſsè ſeruanda,Canonicis pœnis in ſuis locis inflictis contrà temerè aduerſantes.

CAP. II.

ELigantur omninò Magiſtri, Gubernatores, Oeconomi, Procuratores, & quilibet miniſter Confraternitatum,Montium Pietatis,Hoſpitalium, Congregationum laicorum, piorumq; locorum, ſingulis annis in medietate menſis Auguſti,& à prima Septembris ſequentis adminiſtratio currat; electioniq; faciendæ ſemper aſſiſtat noſter Foraneus loci: & tunc canonicam electionem pronunciamus, ſi cum aſſiſtentia,electus maiora ſuffragia habeat,& ſit induſtrius,bonę opinionis,& famæ, facultatibus idoneus, ne bona Eccleſiaſtica diſſipet: nec electus excuſationem aliquam ad effugiendum proponat: At ſi iuſtam habeat, coram Nobis proponat, & ſtatim, aliàs ſi quis ſe ingeſſerit excõmunicetur. Is autem iuret de benè, & fideliter adminiſtrando per annum, & non vltrà, in manibus Vicarij loci, & quod curabit,intrà menſem ſuæ adminiſtrationis, computa Prædeceſſoris calculari,diſcuti, decidi, & exequi,& ſtatuto tempore nouam electionem celebrari,& vlterius non protrahi. Qui autem, forma hac non ſeruata,fuerit electus,& adminiſtrationem acceperit, tàm ipſe, quàm eligens, ſententiam excommunicationis incurrant,à qua liberari non poſſint, niſi à Nobis.

CAP. III.

ENunciatorũ piorum locorũ adminiſtratores, quocumq; nomine nũcupati,adminiſtrationis anno completo,computa Curato, & Foraneo loci coniunctim,calculãda,ſubducẽda,& decidẽda exhibeãt: niſi

niſi in inſtitutione, & ordinatione aliter expreſsè ſit cautum; qui ſi detrectant ſignificatam pecuniam, intrà duos menſes, ſucceſſoribus ſoluere; ſiuè fraudem aliquam, vel vſurpationem committent, excõmunicationis fulmine, ad exhibendum computa, & reliqua ſoluendũ, eoſdem compelli mandamus.

CAP. IV.

Piorum locorum fructus, redditus, & prouẽtus in alios vſus, etiam pios, prẹter inſtitutum loci, ab adminiſtratoribus, non expendantur: vndè nec eleẹmoſynæ erogentur, neq; in aliud pium opus ampliationis, reſtaurationis, & ornamẽti; nec mutuationes, pro quauis pia, & publica cauſa neceſſaria, fieri poſſunt; nec cenſuum impoſitiones, quæ magnam perniciem, & exitium attulerunt; eorumq; piorum locorum bona, iura, actiones, omnimoda gaudeant immunitate, quã cætera bona Eccleſiarum, quæ alienari, pignorari, permutari, vel tranſigi non poſſunt, Nobis inconſultis; etiam ſi in euidentem ipſorũ piorum locorum vtilitatem omnia cederent: aliàs excõmunicationis latæ ſententiæ pœnam tranſgreſſores incurriſſe declarabimus: & ſub eadem cenſura vetamus, nullatenus bona, temporibus à iure permiſſis, illis locari, qui antè actas locationes ſoluere noluerint; etiam ſi id palliato nomine per ſuppoſitionem perſonẹ affectent: quia ſi de prẹterito æs alienum ſoluere non potuerunt, minus credimus poſſe ſoluere in futurum.

CAP. V.

Piorum præfatorum locorum adminiſtratores, qui retroactæ adminiſtrationis æs alienum non exoluerunt, nullo modo eligantur; nec qui litem habent cum locis eiſdem; vel ſunt publicè excommunicati: aliàs electionem irritam facimus ipſo facto.

CAP. VI.

Codicem computorum fideliſſimum habeant, debiti, creditiuè rationem, lucidam, & iuſtificatam continentem, Inuentarioq; bonorum ordinato correſpondentem, in quo annuatim, diſcuſſis ratiociniis per Curatum, Foraneumq; loci cõiunctim, adminiſtrationis ſignificatoriales, vel liberatoriales cõmuniter appellatẹ, cõnotentur.

CAP. VII.

Pietatis Montes, vt egenorum inopia ſubleuaretur, prouidè erecti ſunt: cum aurum etiam Eccleſiaſticum in neceſſitatibus egeno-
rum

rum ſit erogandum, illiq; ſub Epiſcopi cura ſubſunt; nam illius gloria eſt pauperum inopiæ prouidere, & per eleemoſynarum erogationes, & nummorum mutuationem. Quæ omnia ne callida induſtria, cupiditate, & auaritia adminiſtratorum, aliorumq; in prauum vſum reducantur; inopes cæteris in ſubuentione pecuniȩ prȩferri mandamus, conditionibus hiſce ſeruatis: ne ſubuentio ſex ducatos excedat, & pro illis pignora valoris duodecim in Montis ærarium reponātur; cartula pignoribus affigenda, cum nomine, & cognomine debitoris, quantitate, anno, menſe, die expreſſis, præter libri adminiſtrationis ſeriem extenſam, conſimili charta debitori tradenda, in fine anni luēda. Quæ ſi luere contempſerint, elapſo anno, iudiciario ordine nullo ſeruato, nec ipſo debitore vocato, vnica tantùm proclamatione, per dies tres ante prȩmiſſa, venalia exponantur, & plus offerenti ſub haſta, extincta candela, liberentur prȩſenti pecunia; & in libro adminiſtrationis, dies vēditionis, pretium redactum, & à quo, cōnotentur; compenſatoq; debito cum credito, ſi quid ſupererit domino pignoris reſtituatur. Si quæ ſupra memorata ſtatuta perperam adminiſtratores ſeruabunt, de proprio teneantur, & in ſubſidium excommunicationis pœnam non euitabunt.

CAP. VIII.

Illa autem pignora noui adminiſtratores à veteribus accipere, & pecuniam mutuo datam, bonam facere teneantur, quȩ metam anni præfixam non excedunt, quæ verò, decurſo anno, non fuere diſtracta, Adminiſtratoris damno cedant, qui de proprio reſarcire aſtringatur: cum magna culpa dolus ſit, niſi aliter iuſta ſuadente cauſa, à Nobis fuerit ordinatum. Veteres inſuper Miniſtri inuentarium pignorum, ſtatumq; montium in libro benè ſeruato relinquant, quia ex anteactis futura cuncta proſperè diriguntur.

CAP. IX.

Mobilia ſerica, lineaq; annulos, & gemmas, pignora à debitoribus tradita, non in priuatis ædibus, ſed in loco peculiari munito conſeruari, tutèq; cuſtodiri conuenit, eaque in ſingulo bimeſtri à puluere, & tineis præſeruentur immunia: aliàs quidquid acciderit, adminiſtratoribus imputabitur. Quæ loca Diœceſim viſitando luſtrantes haud inuenimus; ideò, Deo propitio, conſtrui curabimus, ac ad declinandas fraudes, & cuncta benè gerendum, etiam in-

pro-

erogatione pecunię, pignorumq; receptione, quàm in expignoratione, cum Adminiſtratoribus, Curatus loci, quaſi defenſor pauperum conueniat, iuraq; illorum tueatur; adminiſtrationem miniſtris penitus relinquendo; qui ſi colluſiuas de recepto apochas ſignificati debiti, in priorum Adminiſtratorum commodo conſcribent, eoſdem ſententia excommunicationis percutimus.

CAP. X.

PRo mutuis pecunijs datis, frugibuſq; commodatis; lucrum ſiue augmentum quodpiam, quouis reiecto prætextu, accipere nullo modo conceditur: cum ſint mutuationes, & ſubuentiones gratuitę, niſi aliud in limine fundationis ſit Apoſtolica auctoritate comprobatum, quod amuſſim ſeruandum præcipimus. At ſi egeni, nec directè, vel indirectè compulſi, proprio gratitudinis motu eleęmoſynam elargiri voluerint, ad pij Montis augmentum, Adminiſtratores gratias referendo accipiant, fideliterq; conſeruent.

CAP. XI.

QVibus piorum Montium cura incumbit, honeſtas, inopeſquè puellas nuptui tradere, Adminiſtratorum pietas tūc corruſcabit, ſi egentes, honeſtas ex honeſtis parentibus procreatas, & cum honeſtis viris copulādas, ſubſidiaria dote ſaluabunt; vndè inſtitutum ſeruabunt omninò, & quidquid aduerſus fuerit attentatum, pro infecto, & nullo reputabimus: quæ ſi, non ſuſceptis liberis, carnis debitum ſoluant, dos ad Montem promiſſorem reuerti, Adminiſtratores cauebunt; & hęc conditio ſemper cenſeatur appoſita, quamuis in dotatione indiſcretè ab Adminiſtratoribus omittatur, qui manus à datis, & promiſſis, innoxias habere debebunt.

CAP. XII.

COnfratres Sodalitatis cuiuſuis inſtituti, pio obſequio conſcripti, tunc indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conſequentur, aliaq; pia ſuffragia participabunt, ſi, præter alicuius Archiconfraternitatis aggregationem, pijs actibus, & Chriſtianę charitatis operibus, quibus conceſſæ ſunt, ſaccis induti deſeruiant, & in publicis potiſſimum proceſſionibus ſe exercebunt: ſaccos communes in communi arca reponendos mandamus; eoſq; ſub excommunicationis pœna

domi

domi retinere vetamus: priuatos verò,ſicut concedimus retineri,ita, qui obierit,vel recedit,ſuum in communem vſum,ex modo applicatum prænoſcat.

CAP. XIII.

QVi præditi qualitatibus electi adminiſtrationis onus ſubire recuſant,deleantur omninò, ſtatimq; noua perficiatur electio; & ſi nouiter electus,etiam onus ſubire recuſat, ſub noſtra ordinaria auctoritate cadat electio, & deputatio, etiam vſque ad incorporationem alteri pio loco,vel Parochiæ,ſuppreſſo eo,cuius onera recuſantur: ne piarum actionum exequutiones retardentur.

CAP. XIV.

COnfratribus, qui ex inſtitutione Hoſpitalitatem non exercent, nullo modo eleemoſynas, ſine noſtra facultate, quæritare licebit. Qui verò petulanter hoc fecerint, ſententiæ excommunicationis mucrone nouerint ſe eſſe percuſſos.

CAP. XV.

IN Hoſpitalibus fores liberaliter pateant, miſeris, egenis, & languentibus: vt laxa,defatigatavè membra recreari poſſint. Nam in die tremenda,in probrum dicetur à iudicante: Hoſpes eram,& nō collegiſtis me. Gubernatores itaque precaueant, ne quid contra Chriſtianam pietatem perpetretur in illis.Mulieres à Viris ſeparatę, & ab hominibus pueri ſeiuncti condormiant; niſi fœdus matrimoniale pemittat, & pueri filij exiſtant. Nec aſſertionibus hoſpitum credendum erit,niſi ſcripturis publicis comprobentur. Vagabundi, circulatores,& criminoſi,repellantur omninò, quiquè ad diuerſoria diuertere,ſuisq; ſumptibus,ſe ſuſtentare potuerint.

CAP. XVI.

HOſpitalarij,ſtratos mundos,recentesq; conſternant,frugales itē menſas apparent: vt qui excipiuntur hoſpitio, Chriſtianæ pietatis officijs recreentur. Itemq; ſuppellex domus hoſpitalitatis vigilanter cuſtodiatur,illamq; taliter tractent,vt ſolum iniuria temporis, & vſu conſumatur, nec aliter pereat: aliàs, ſi culpoſum aliquid admiſſum fuerit,proprijs ſumptibus reficietur.

CAP. XVII.

PIj autem Montes frumentarij,hiſce ſtatutis, firmiter obſeruandis ab adminiſtratoribus gubernentur, conſeruenturque, vt pietas

Digitized by Google

Chriſtiana,in pauperum ſuſtentationem ęqua lance refulgeat. Quando frumentũ capitalis trecentos modios facit,egeno cuipiam ad ſummum modios tres; ſi quingentos,quinq; modios ;ſi mille,vſq; ad modios decem commodari concedimus; cautione pignorum,vel ſecuritatis accepta , arbitrio prudentis viri adminiſtrantis . At ſi miniſtri noſtris aduerſentur præceptis,liberoq; proprio arbitrio,præſcriptam quantitatem exceſſerint, excommunicationis mucrone percutiãtur.

CAP. XVIII.

SI cellas proprias, vt frumenta ſeruẽtur, pij Montes non habeant, Chriſtiana pietate adminiſtratores repleti, eas firmas, ſecuraſq; parabunt, non humidas ,ruinoſaſuè , quibus frumenta mucidata , & corrupta poterunt inueniri; nam ſi tàm negligenter, & culposè pauperum bona tractabunt,detrimentum ipſi,& non pij Montes ſubibũt: cellarumq; fores rectibus, & duabus inæqualibus clauibus à loci Curato vna, altera à miniſtro tenendis,conſtrigantur: vt in pace pauperes ſubſidiaria frumenta poſſideant. Et tàm in erogatione, quàm in reſtitutione,& Fiſcus noſter,& pauperum ſuę plebis protector Curatus ſemper aſſiſtat, vt fraudes abigat. At ſi Curatus negligenter abfuerit, per menſes duos ſuſpenſionis pœna plectetur; & qui tàm ſalubria præcepta contempſerint, eiſquè impedimentum fecerint quomodocumq; eoſdem ſententialiter excommunicamus.

CAP. XIX.

QVamuis induſtria,& miniſtrorum ſollicitudo in repetendis frumentis,ſuis aptis temporibus ſatis abundet, quia in oppoſitum debitorum ingratitudo redundat, qui retinere potiùs, quàm exoluere ſunt parati: & ſi exploratiſſimum habeant,ad eorumdem commodum frumenta ſeruari. Vicarijs locorum ſtrictè præcipimus , vt per ſingulos annos, diebus fœſtis totius menſis Auguſti, loco trium Canonicarum monitionum, inter Miſſarum ſolemnia, moneant moroſos ad reſtituendum intrà menſem præfatum : eos autem,qui pertinaces,& obdurati ad reſtituendum extiterint, noſtra ordinaria auctoritate, in fœſto Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis proximè ſequenti, ſententialiter excommunicent, nomina propria debitorum expreſſa in cedulonibus, foribus Eccleſiarum Parochialium configendis, ad hoc, vt euitentur, ijſq; effectiuè ſoluentibus , in forma Eccleſiæ conſueta, ſalutariq; pœnitentia iniuncta , gratis beneficium abſolutionis impendant. Vtquè omnia ſint à colluſione ſemota, Vicarij ipſi libellum nomina debitorum continentem inſpiciant , quoſuè ex illis moroſos

roſos inuenerint, quibuſcumq; affectu, & reſpectu remotis, præfatorum nomina debitorum deſcribant. Et qui in re tàm graui vrente animum noſtrum, negligentiam, defectum, ſeù conniuentiam fecerint in quouis articulo mandatorum, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrent, à Nobis dumtaxat liberandi ab illa.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CAP. I.

CLericorum vita lucerna lucens, ſecularium pedibus per ſemitas ruinoſas, & obſcuras deambulantibus, ne in foueam præcipites cadant, ſemper conſiſtere debet, eoq; magis Curatorum illa, quę ſcientia, prudentia, bonitate, modeſtia, pietate, grauitate, & dexteritate, cæteros colluſtrare debet: cum quaſi ad ſagittam ſignum, & columnæ inconcuſſæ poſiti ſint, in quibus oculos plebes configunt: & ſi concutiantur totum corruit ædificium. Sunt duces à Domino gentibus, & exemplar ad viuendi normam Euangelicæ vitæ, & ante eum mediatores, & interceſſores conſtituti, qui ſi tàm magni muneris obliti, mali ſint, ruinæ populorum efficiuntur; qui apud Deum interceſſoribus carentes, à veri callis itinere deuiantes, in ruinam obruunt obſequentes.

CAP. II.

PRænoſcant potiſſimum noſtræ Diœceſis Sacerdotes, eorum præſtantiſſimam dignitatem, induti; primum interioris armaturæ clypeo, reddant ſe illius ſplendore præclaros, qui ſolem ſuum ſuper bonos, & malos facit oriri. Illique vniuerſi, ſecundum ſac. Trid. ſtatutum, quos non ſæpius celebrandi ſarcina præmit, niſi legitimo impedimento detenti, ſingulis ſaltem ſolemnioribus fœſtis, & die Dominico, in quo Deus lumen condidit, à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in Diſcipulos infudit; hoſtias laudis, & prœces offerre, ſacrificiumq; Miſſæ peragere, ſatagant. Diaconi verò, Subdiaconi, & Clerici in ſolēnioribus miſſis; itemq; primis, vel tertijs Dominicis, vt de more, ſacrę Euchariſtiæ communione ſe reficere debent. Qui verò Sacerdoti parato aſſiſtunt in Miſſa, ſi Sacerdotes fuerint, die eadem nō celebraturi, etiam ſacram Communionem accipiant. Et qui ætate, vel alio impedimēto celebrare nequibunt, ſæpius ad ſacrę cōmunionis refectionem accedant: vt Sacramentorum frequentia magis in Clericis opportuna, Deo gloriam, Eccleſię incrementum, mundoq;

Seſſ. 23. cap. 14.

Seſſ. 3. cap. 13.

doq; exemplum poſſint condignè tribuere. Quiuè noſtrorum monitorum contemptor extiterit, arbitraria pœna plectetur, & à maiorum ordinum ſuſceptione repelletur.

CAP. III.

QVi vita, & moribus à cæteris differre debent, etiam habitu diſtinguantur. Clericis, Presbyteriſq; quibuſcumq; Diœceſis noſtræ mandamus, quòd talari veſte extenſa, nigra, ſimplici, abſque fibulis coloratis, ſemper vtantur, palliumq; conforme longitudine ſupra veſtem per palmum; itinerantibus tamen breuiori veſte conceſſa, quæ non ſit à Clericali modeſtia aliena; quas veſtes præcinctas, nullo modo diſcinctas, omninò geſtabunt, *ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda.

* Laud. a Card. de Sarnellio in T. I. Epist. Eccl. pag. 124 Epist. 16

CAP. IV.

VEſtium manicis albis, ſeu aliter coloratis, inciſis, lāciniatis, nullo modo veſtiantur: tibialibuſq; nigris, violaceis, & albis, vt egenorum conſulatur egeſtati, vtantur: aliter verò coloratis prorſus reiectis. Collaribuſq; non criſpatis, lactucatiſq; arte fimbriatis, Clericos ornari non decet, nec annulis: niſi gradus Dignitatis permittat. Et qui tranſgreſſor fuerit apprehenſus, pœna in Bulla fœlicis record. Sixti V. aliaſuè à ſacris Canonibus inflictas, præter arbitrarias, exoluet, & luet.

Dec. Sac. Congreg. quæ prohibet etiā Canonicis Cathedralis vsū annuli in Miſſa.

CAP. V.

CLericalis habitus honeſtas diuino cultui non modicam cumulat venuſtatem. Vndè Clericis, Presbyteriſq; mandamus, præter talarem veſtem præcinctam, vt diximus, deferendam, Biretum Clericale in Eccleſijs, & proceſſionibus, pileis omninò reiectis, geſtari; induant etiam ſuperpelliceum, ſingulo bimeſtri dealbandum; & dum Canonicæ horæ, aut Miſſæ cantantur, aliaq; miniſteria fiunt, quæ illa expoſcunt, eis vtantur, nec qui ordinandi ſunt ad maiores, ſi ſuperpelliceo, ac talari veſte carebunt, promoueri ſperabunt. Coronam verò, noſtri capitis ornamentum, qui talem deferre neglexerint, quæ cunctorum oculis poſſit inſpiciendo diſtingui, pro ordinum varietate, & maioritate, arbitraria pœna plectentur.

CAP.

CAP. VI.

GRauitati ſatis arridet, vt Sacerdotes barbigeri ſint: non tamen, quaſi feroces milites, barbam adaptantes; ſed humilitatis effigiem prę̨ſignantes, extrema ſuperioris labij pilorum expurgantes, ne illos, dum celebrant, in Chriſti ſanguinem irreuerenter immergãt; ijquè, & Clerici, capillos, Auſtriaco more criſpatos, compoſitos, calamiſtratos, & comam nutrire, prohibentur: quia modeſtiam humilem, nullamq; vanitatem mundo oſtendere debent. Quiuè noſtrorum monitorum obliti, venuſtatem, honeſtati præpoſuerint, non leuiter, arbitrio noſtro, plectentur.

CAP. VII.

APoſtolo præmonente, ab omni ſpecie mali abſtinendum: caueãt, ideò Sacerdotes, ne laxata cum laicis conuerſatione Sacerdotalis dignitas veniat in contemptum. Clericis noſtris, Presbyteriſq; præcipimus, vt dum inter laicos contigerit quomodolibet conuerſari, dignitatem retineant, ſequè modeſtos exhibeant, ac in omnibus, vt decet eſſe Dei miniſtros, oſtendant. Plateas, niſi cum res neceſſaria expoſcit, non frequentent; tabernarum ingreſſus (neceſſitate itineris excepta) & multò magis ſuſpectarum mulierum colloquium, & conuentus laicorum profani in horis nocturnis ad tripudiandum, interdicuntur, illoſq; abhorreant; & qui in prędictis errauerint acriter caſtigentur.

CAP. VIII.

DEtractorum linguis, quæ ſæpè in Clericos liberantur, occurrere cupientes, ne ſcandala oriantur, imò prępediantur; Clericis, Presbyteriſq, noſtris præcipimus, quòd æſtiuo tempore, poſt primam; hyemali, poſt ſecundam noctis horam, niſi ex cauſa adminiſtrationis Sacramentorum, vel alia notoria vrgenti, per Terras, & Oppida, non incedant: eoq; caſu, luminaria accenſa ferent, & alicuius honeſtę perſonæ comitatum habeãt. Contrà facientes, viſi, vel apprehenſi arbitraria pœna mulctentur.

CAP. IX.

ETiam per longa itinera profecturi, & per loca non tuta tranſituri, Clerici, Presbyteriq; omnes, minimè arma quęcumq; ferãt, niſi de licentia noſtra, negocio, perſoniſq, penſatis: aliàs ſententiã excommunicationis ipſo facto incurrant; à qua, pręterquã à Nobis, ne

qua-

quaquam liberari mandamus. Et ſi fuerint conuicti,vel apprehenſi, carceris pœnam per biennium luant. Breuiores autem Sclopos, Archibuſcettos nũcupatos, pugioneſuè deferentes,ſiue apprehenſi,ſiue duobus teſtibus conuicti,triremium pœnam ad biennium non euitabunt; ad quam ex nunc condemnantur: Nobilibus verò, loco relegationis, carceris pœnam per tempus idem infligimus: nec minoris ætatis viginti quinq; annorum prætextu, pœnas reſpectiuè euadent; quia hac noſtra Cõſtitutione,maiores facimus,& declaramus(qnoad id) tranſgreſſores, ſi annum decimum octauum compleuerint. Qui autem infrà ætatem hanc apprehenſus, vel conuictus fuerit, arbitraria pœna plectetur. Domi arma à Presbyteris,& Clericis,pro neceſſaria naturali defenſione, retineri indulgemus, ſeclusis pugionibus,& paruis Sclopis ſuprà expreſſis omninò, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, modò, vt ſupra,& in fragranti reperti, arbitrio noſtro pœnam luent.

CAP. X.

IOcos,& ludos,qui naturam recreant, eamq; ab anguſtijs ſubleuãt, ſi virtuoſi ſint,& ſine peccato fiant ad animi defatigati recreationem, triſtitięq; expulſionem; Clericis, Præsbyteriſq; permittimus: modò modeſtè fiant in domibus; ſiuè inter Clericos, ſiuè cum laicis mixtim: publicè autem, abuerſante modeſtia, ſub excommunicationis pœna fieri prohibemus omninò. Qui verò taxillorum, fabarum, aliarumq; luſibus ludent publicè, vel ſecretè, etiam per interpoſitas perſonas, ſiuè in prædictis ludis interfuerint, ſententiam excommunicationis, eoipſo incurrant, à qua dumtaxat liberentur à Nobis:nec ludos publicos, Comædias,& publica ſpectacula proſpicient; laruati, & perſonati incedant; ſub pœna carceris ad tempus bimeſtre.

CAP. XI.

Cap. à nõ nullis de cohabit. Cler. & mul. Trid Seſſ. 24. cap. 14

SAcerdotes Angeli Dei appellantur, nemo illos deſpiciat, quia eum deſpicit, qui illos ordinauit. Oportet eſſe puros ab omni labe carnis, vt eorum facta nomini correſpondeant. Ideò Apoſtolus caſtimonię cultor hortatur Timotheum, vt ſit pudicus, quia Deus habitat in cordibus Sacerdotum: & ſi inquinatam ſedem inuenit, eam derelinquet. A mulierum conſortio tàm ipſi, quàm Clerici ſint remoti, quia impoſſibile eſt in conuerſatione mulierum ſeruare caſtitatem. Vndè, non modò meretricum, quibus, nec quidem domos ab eis locandas, locent, nec colloquium præſtent, conſortium effugere debent: ſed neq; cum conſanguineis, & Affinibus, cum quibus naturale

rale fædus nihil ſæui criminis ſuſpicari permittit, ſecundo gradu decurſo, cohabitent, ſinè venia noſtra: repulſis à famulatu Ancillis, & fœminis ſuſpicionem inducentibus. Quiuè conuicti, vel reperti fuerint hiſce noſtris monitis aduerſari, carceris pœna per annum ſeueriſſimè punientur.

CAP. XII.

NEgocia ſecularia, cum à ſacris Canonibus ſint Clericis interdicta, mercaturam fugiant, nec laicorum prædia cōducant, omneq; illicitum negociationis genus, & mechanicales artes declinent; laicorum Conſilijs, & Parlamentis, minus interſint; nec pro alijs vota, ſuffragiauè procurent; pro laicis fideiuſſionem, Nobis inconſultis, non contrahant: Aduocationem, & Procurationem in ſeculari foro, eiſdem non liceat Clericis exercere: proprijs tamen Eccleſiæ, & conſanguineorum, miſerabiliumq; perſonarum cauſis ſemper exceptis; quas noſtra, vel Generalis Vicarij in ſcriptis permiſſione defendant. Computa ſecularia, etiam publica, non calculabunt: Cataſtum, ſiuè taxam vniuerſalem, minimè componant: medendi artem, maximè chyrugiā, prohibemus eiſdē, qui, ſinè noſtro permiſſu, mulieres vllas liberales artes docere non valebunt, ſub pœnis arbitrarijs infligēdis.

CAP. XIII.

CVm tàm Sacerdotes, quàm Clerici miniſterijs, & ſeruitijs Eccleſiarum deputati ſint, nemo illa deſerat, per diſceſſum à locis vagando, Nobis inconſultis; ſub pœna duodecim aureorum, aliàs inflicta, ad quam ex nunc condemnantur. Sacerdotibus autem, ſi videbitur, ſacrorum exercitium etiam interdicetur in pœnam.

CAP. XIV.

ECcleſiaſtico ſtatui illud venationis genus incumbit, quo animæ per deſerta peccatorum errantes, virtutum retibus capiuntur. Has feras Domini armis fortiter, & induſtrioſè ſectentur. Canes verò, accipitres, aliaq; venationis inſtrumenta, venandiq; genera, à ſacris Canonibus interdicta, Clerici cuiuſcumq; gradus exiſtant, ſibi prohibita, ſub arbitraria pœna, prænoſcant.

CAP. XV.

AD rurale opus exire, expletis miſſis, Clericis, Presbyteriſq; à ſacris Canonibus indulgetur: caueant tamen omninò alijs locare operas ſuas, ne famulatu vileſcat honeſtas, & dignitas Clericalis: Cap. 1 de celebrat. Miſſar.

nec

nec animalia propria ad paſturam cuſtodiant; & minus turpi agaſonum ſeruitio vacent; ſub carceris arbitrio noſtro in Presbyteros, in Clericos verò Clericatus, & priuilegiorum illius priuationis pœna.

CAP. XVI.

SIcut in domibus Clericorum, de laudabili conſuetudine, abſque noſtro permiſſu, nullus ſecularis Iudex, ſiuè Miniſter per vim ingreſſum prætendere poteſt; ita ne iſthæc prohibitio incentiuum tribuat delinquendi eiſdem, protegendi, & occultandi delinquentes, & exules, facultatem interdicimus; ſub pœna carceris per annum, ad quam ſequuta captura, vel illorum fuga, ex nunc condemnantur. Eademq; pœna plectentur, qui donationes ſimulatas, ad defatigandum creditores in Fiſcalium, aliorumq; ciuilium onerum fraudem recipiunt. Quærelam nullam inſtituant criminalem, etiam citrà ſanguinis pœnam, Nobis inconſultis. At ſi eorum, & ſuorum iniuriam, & rerum ſuarum malefactores perſequuntur, ad intereſſe liberè agere poſſunt: teſtimonium ferre, coram Iudice ſeculari, etiam in cauſa Ciuili, non præſumant, neque tutelas, & curas adminiſtrare, ſinè noſtro permiſſu. Nemo hæc noſtra præcepta paruipendat, aliàs arbitrarijs pœnis ferietur.

CAP. XVII.

CLericis, qui in minoribus pro libito poſſunt ad ſecularia vota redire, nullo modo veſtes Clericales dimittant, niſi facta, coram nobis renunciatione Clericatus, priuilegiorumq; illius, reſtitutiſq; bullis, ijsq; receptis, & reſpectiuè admiſſa, connotentur in libro, ne vllo vnquam tempore, poſt patrata facinora, effugium, poſt Clericatum, prætendant. Idq; etiam faciant Diaconi noſtri Seluatici, ſi à ſeruitio Eccleſiarum, & noſtro ſeſe abdicare peroptant: & tunc repudiato Clericatu, & ſeruitio memoratis, habitum Clericalem, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliaq; arbitrio noſtro infligenda, ſtatim abigant, eoq; non induantur. Vicarijs noſtris Foraneis, ſub arbitraria pœna, ne renunciationibus præfatis, ſinè noſtro permiſſu quomodocumque ſe ingerant, inhibentes.

CAP. XVIII.

CAueant Clerici per campaneas armati diſcurrere, potiſſimum, cum facinoroſorum comitiua; etiamſi veſtes breues deferan-

Cleri

Clericales,& coronam,quia ſeruitium Eccleſiæ,cui addicti fuere, reliquerunt,à quo forum Eccleſiaſticum habent,aliàs,abſque vlla monitione,eo ipſo fori priuilegio ſunt priuati.

CAP. XIX.

CVm Presbyteri ordinari non debeant, niſi diligenter examinati,ad Populum docendum ea,quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem,inſtructi comprobentur; nam qui alios docere tenentur,docti eſſe debent: & doctrina haberi non poteſt ſinè ſtudio,& reuolutione librorum; eiſdem ſtrictiſſimè præcipimus, ſub arbitraria pœna,vt vnuſquiſque ad minus Summas Franciſci Toleti Eminētiſſimi Cardinalis bo.me. & Martini Nauarri Doctoris eximij,& libellum nouiſſimè typis excuſſum, de officio Curati Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini; & præter hos ſpirituales aliquos, ex quibus ſemitæ noſtræ diriguntur,& corriguntur exceſſus,poſſideat. Curati verò, qui Populo commiſſo ſunt prædicaturi, ad onus hoc,ſuos ſuper parabolis Euangeliorum,explanatores habebunt, domiquè ſeparatim, Rituale nouum, & libellus de Commendatione animæ, non deerunt. Omnes tandem habeant Breuiarium Romanum, Miſſale,& Ordinarium Officij,ſub pœnis arbitrarijs infligendis.

De Seminario Puerorum Clericorum.

CAP. I.

PVerorum Seminarium, opus tam pium, vtile, & neceſſarium à ſac.Conc.Trid. cōmendatum, atque mandatum,per quod Dei vinea omnium virtutum fertilitate fœcundatur,in Eccleſia noſtra, tam rudit er, atque incommodè ad tecta Domus Epiſcopalis à Prædeceſſoribus noſtris repoſitum inuenimus. Vndè oculari inſpectione, indecorum illius ſtatum agnoſcentes, in prima noſtra Viſitatione, omni dexteritate, induſtria, & vigilantia, nouam conſtrui fabricam ad modum Collegij oportunè decreuimus, quæ diuina gratia adiutrice, initium habuit, eamquè, annuente Dei miſericordia, ſi vixerimus, vt Deus voluerit, perfici curabimus. At quia totius Diœceſis vires vidimus eneruatas, propter tenuitatem fructuum Beneficiorum, ad ſubleuandos inopes Clericos onere contributionis taxatæ, quando caſus euenerit, eodem Sacro Conc.Trid. ſuffulti vniones, aliàs canonicè factas à Prædeceſſoribus, illas confirmamus, aliasquè denuò cum conſilio duorum de Capitulo, & aliorum

Seſſ. 23. cap. 18. de refor.

P duo-

duorum de Clero ſelectorum, ad præſcriptum illius, confecimus, eidemq; Collegio vniuimus, applicauimus, & incorporauimus: citra tamen obtinentium præiudicium, vt decreto ſequenti publicauimus, & pro Seminarijs fructuoſa propagatione, & manutentione, hæc noſtra præcepta damus inconcuſsè ſeruanda.

CAP. II.

NVllum inter Seminarij alumnos ſinè noſtro permiſſu recipi poſſe iubemus, de cuius bonis moribus, legitimis natalibus, vita, fama, & paupertate, prius informationem non habuerimus; ac quod is, tàm moribus, quàm literis, muſica, cæterisq; virtutibus neceſſarijs addiſcendis, idoneum præſeferat; & ſpes probabilis in his eum profecturum oſtendat: nec antè duodecimum annum admitti mandamus, legere, & ſcribere neſcientibus, omninò excluſis, ac peritiores, & melioris indolis, alijs ſemper præferantur.

CAP. III.

DIuites, iuxtà Sacri Tridentini decretum, à Seminario non excludimus, ſi proprijs ſumptibus ibidem conuicturi, & pro miniſtrorum ſuſtentatione, ſummam ducatorum viginti annuatim perſoluent, dimidia anticipata ſolutione, ad modum alimentorum; qui habitum Clericalem, ad aliorum inſtar, geſtabunt. Seminarij cultus ad illud ſpecialiter ordinatus, vt peritis, idoneisq; miniſtris, Dei Eccleſia repleatur, ne ſimulata hominum religione ſuo fine fruſtretur: ad Seminarium admittendos, ne dimiſſo Clericali habitu, quem habent, vel ſtatim ſuſcipient, ad ſecularem ſtatum redeant, in ſequentem modum volumus obligari.

Forma Obligationis.

CAP. IV.

EGo N. Clericus talis loci. Per Reuerendiſſimum Epiſcopum Polycaſtrenſem ad Seminarium Clericorum admiſſus, omnes Leges, & Conſtitutiones à meis Superioribus emanatas, & emanandas, me obſeruaturum, & obedientiam eiuſdem Seminarij Superioribus in functionibus, quas iubebor, præſtiturum, & ad libitum eiuſdem Reuerendiſſimi in eodem Seminario permanſurum, promitto. Et, ſi mihi ex quauis cauſa (quod abſit) ad ſecularem ſtatum pertranſire continget, impenſas mihi, pro victu, litteris, cæterisq; virtutibus addiſcen-

addiſcendis, à Seminario ſubminiſtratas, me reſtituturum polliceor, ac ſi meis ſumptibus conuixiſſem. Et pro enunciatorum obſeruantia, obligationi meæ, religionis Iuramento firmatæ. N. fideiuſſorem adiungo. Quam ſcriptam obligationem, Rector commemorabit aſſiduè, vt Adoleſcentes obſeruantiæ iugum ſuaue, & leue cõportent.

CAP V.

REctor inſuper, Seminarij ſtatuta, promiſſiones faciendas, cæteraq; ſeruanda, admiſſos monebit, eiſdem octo dierum ſpatio, in quo deliberare valebunt, aſſignato, illosq; inter alios, nullo modo, antè deliberationem admittat, ſed ſeorſum ab alijs, ſub Collegij regularum obſeruatione, tenebit, donec ab illis permanendi, vel recedendi, voluntatem habebit. Quibus diebus ad deliberandum aſſignatis, circà conſcientiæ examen, & generalem peccatorum confeſſionem præmittendam, vacabunt, vt nouam vitam incipientes, veterem exuant, & apud Deum, in nouam, poſt quaſi infantiam, renaſcantur.

CAP. VI.

SAnctiſſimo Miſſæ ſacrificio deuotè ſingulis diebus Alumni interſint, & alternatim celebranti in altaris miniſterio inſeruiant, Rectorq; inuigilabit, vt benè omnes hoc inſeruiendi munere, fungi ſciant. Dominicis, feſtisq; ſolemnibus in Miſſis, ac Veſperis ſemper adſint; ibidem Superiorum iuſſu in eorum munere ſeruituri. Dominica prima cuiuſque Menſis, & in feſtis ſolemnioribus, peccata confiteantur, & de conſilio Confeſſarij, ad ſacram etiam Cõmunionem accedant, Conciones etiam pro tempore audituri.

CAP. VII.

QVi recitandi diuinum Officium onere non grauantur, Beatiſſimæ Virginis officium, quotidie in cõmuni, & ſexta feria etiã Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs, & precibus dicere non omittant. Pro Summo Pontifice Chriſti Vicario, pro exaltatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Principum Chriſtianorum concordia, & pace, temporum tranquillitate, pro Epiſcopo Polycaſtrenſe, totaque Diœceſi, pro benefactoribus viuis, itemq; defunctis, orantes; & pro quibus à Rectore ad Deum preces effundere, monebuntur.

CAP. VIII.

SIgno Campanæ peculiariter, cum horarum diſtinctione à Rectore ſtatuto, quiſq; ſuo ſtratu cubabit, omnes ſurgant, & ad men-

P 2 ſam

ſam accedant, aliavè ſecundum Superiorum iuſſa, ſub eiſdem nutibus, alacriter exequantur. In menſa ſemper adſit lectio Hiſtoriarum Sacræ Scripturæ, vel alterius piæ conſiderationis, per turnum legendæ, à quouis in hebdomada deſtinato, alter ex illis ſimiliter menſæ ſeruitio aſſiſtet; quibus piatantiæ debitæ reſeruentur, vt poſt labores, refectionem inueniant. Menſam tàm in prandio, quàm in cœna, lector idem benedicat, & in fine omnes Deo gratias agere non omittant.

CAP. IX.

Experrecti à ſomno, & à lecto de mane ſurgentes, vt edocti ſunt à Superioribus, ad ſacram imaginem parieti ſtratus affixam, ab omnibus retinendam, ſe ſtatim conuertant, & flexis genibus ſancto Cuſtodi Angelo commendantes greſſus diei, Deum breui oratione precentur, vt qui ad diei principium, peruenire permiſit, dirigere, ſanctificare, regere, & gubernare, corda, corpora, ſenſus, ſermones, & actus in lege ſua, & in operibus mandatorum ipſius, dignetur; ac Beatiſſimæ Virginis, omniumq; Sanctorum, implorato ſuffragio, ſanctiq; Doctoris Angelici potiſſimum, pro litteris aſſequendis, exercitia, quæ de Superiorum mandato erunt facturi, in Dei nomine proſequantur. Veſpertinis item horis, quando cubitum eunt, ſtratis procumbent, de acceptis beneficijs Deo gratias referant; conſcientiæ examen ſuper diurnis commiſſis, & omiſſis, conficiant, erratorum veniam poſtulantes: vt cum Domino vigilent, dum in pace quieſcunt.

CAP. X.

Vt primum admiſſi fuerint, Chriſtianā Doctrinam, pro cuiuſq; captu, memoriæ mandare feſtinent, ſeq; familiariter, prout ingenij vires prǽſtiterint; circà exhortationes, & ſermocinationes exerceant, & præſertim modum, quo rudes pueri, fidei valeant rudimenta doceri. Humanis litteris, & muſica inſtruentur, quorum ſtudia totis viribus amplectantur: exercitijs à Rectore, & Magiſtro iniungendis, ſe ex animo applicantes, quæ non deſerant, vt alij ad libitum, etiam ſi melius viſa perficiant; ne Superiorum iuſsibus reſiſtere videantur, quando illis obedientiam cum honore præſtare tenentur: Condiſcipulisq; ſcientiæ, ac bonitatis exemplum, omnia ad Dei laudem, & gloriam dirigentes.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

PAſcantur etiam pro temporis oportunitate lectionibus Caſuum conſcientiæ, quæ potiſſimum pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem: & cum in Dei ſortem videantur aſciti, in omnibus, quæ ad diuinum cultum, ac ſacras Eccleſiæ cœremonias pertingere poſſe videntur, non mediocrem ſcientiam, ſed peritiam omnimodã, ſemper exquirant: quod Rector, Præceptorq; curabunt.

CAP. XII.

HI inſuper non modo Religionis præcepta proponant, litteraſquè edocere conentur, ſed in aliarum virtutum cultũ, ad augumentum Religionis inducant: vt humiles fiant, ſobrij, caſti, obedientes, vitiorum aduerſarij, non inuidi, non elati, ſenſuum deſideria compeſcentes, inſtruantur. Ac ne politici moris videantur expertes: vt dum loquentur, ſtabunt, aut incedent, grauitatem ſemper, morumquè honeſtatem oſtendant, Maioribus, & Superioribus obſequium, reuerentiam, & externum honorem præſtent, prout dignitatis gradus expoſcit. Ac vt non lingua, & verbo, ſed opere, & veritate, diligant inter ſe. Cumq; (quod abſit) alter alterum dictis, aut factis offendet; arbitraria pœna per Rectorem delinquenti iniuncta, eoſdem ipſa die, non occidente Sole ſuper iracundiam, reconciliari mandamus.

CAP. XIII.

ANimi gratia à prandio, & cœna per horam ab exercitijs vacare licebit: quo tempore de rebus honeſtis colloquantur: nevè nimis emungendo cruor eliciatur, ſingulis hebdomadis, in quibus diẽ feſtum non contigerit celebrari, diem habeant à ſtudijs, & laboribus, arbitrio Rectoris, immunem, honeſtis recreationibus eiſdem benignè conceſſis: abſtineant tamen, tam domeſticè conuenire, aut confabulationes habere: quod nec Rector, Præceptorq; committant, inter ſe nec iocosè vmquam attingant, idq; ſi præter intentionem acciderit indulgendum.

CAP. XIV.

SEmper à deputato Ianitore clauigero, Rectoris arbitrio, ianua Seminarij ingreſſum recludẽs, obſeretur, & reſeretur per dies octo in gyrum, nec quiſpiam, ad quem non pertinet, admittatur. Cum exteris numquam, niſi Rectore permittente, loquantur; idemq; Rector, ex cauſa, ne cum aliquo, etiam de Collegio, loqui poſſit, interdicet. Curetq; inter eos, quoad fieri poſſit, Latino ſemper ſermone vtãtur: cum ex continuatis actibus fiat habitus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XV.

VNuſquiſque ſeparatum cubile habeat, Rectoris arbitrio collocandum, in quo ſolus dormiat: & tunc condormire licebit, ſi duo fratres erunt inibi conuicturi. De proprijs domibus nihil ſibi procurare permittimus: ſed in omnibus, quæ opus erunt, Rectorem priùs conſulant, eiusq. permiſſu procurent; munera item, Rectore inſcio, recipere, aut mittere non præſumant.

CAP. XVI.

SIne facultate Rectoris, è Seminarij domo exire, interdicimus: ſi tamen, iuſtâ de cauſa, ab eodem concedenda venit; tunc nullo modo ſoli pergant, ſed aſſignato comite, proficiſcantur in pace. Illud præterea, extra domum aduertant, vt non modo religionem, ac modeſtiam, ſed religioſam elegantiam præſeferant; & veſtimentorum munditia, animi candorem oſtendant.

CAP. XVII.

QVi ægra valetudine, ingenioq; hebeti, aut (quod abſit) morum prauitate, minus idonei videbuntur admiſſi; perſpecta re, erunt, noſtro arbitrio, remouēdi, & qui per duos menſes abfuerint, ſine noſtra noua licentia recipi prohibemus.

CAP. XVIII.

LAici ad Seminarium in eodem ſtatu permanſuri, non recipiantur; nec ad Seminarij ſcholas accedere, facultate à nobis minimè facta, permittantur. Frequentiam ad Seminarium omnium exterorum improbamus. Vndè, nec ad menſam, nec ad pernoctandum, & minus hoſpitandum quempiam admitti mandamus, niſi noſtra intercedat auctoritas, perſonarum conditione penſata.

CAP. XIX.

PRæcepta hæc ad Seminarij gubernium data, non modò Alumni, qui Seminarij ſubſidio ſuſtinentur; ſed omnes, qui ſumptibus proprijs in eodem conuiuunt, inuiolabiliter obſeruabunt.

CAP. XX.

LIbellos duos Rector habebit, alterum, in quo admiſſos, abſentes, redeuntes, eiectosq; deſcribat, anno, menſe, die cuiuſque actus; alterum verò introituum, in quo accepta, & expenſa notentur, quæ omni fidelitate deſcribat, cautèq; conſeruet, eosq; ſingulis annis,

coram

coram Nobis, & deputatis, ad Sac. Trid. normam, pro calculandis rationibus exhibere teneatur. Idemq; Rector tutam arcam poſſideat, in qua ſupellectilia munda, aliaq; neceſſaria ſeruanda, & ſcripturas conſeruet, deſcripto inuentario, quod ſucceſſori tradere, & conſignare debebit.

Sequitur Decretum Vnionis Seminario facta.

Decretum Vnionis, Applicationis, & Incorporationis nonnullorum Beneficiorum Eccleſiaſticorũ ſimplicium noſtræ Polycaſtren. Diœc. Collegio Seminarij eiuſdem vnitorum, & incorporatorum aliàs, quæ ad vberiorem firmitatem denuò applicantur, vniuntur, & incorporantur: & nonnulla quæ nuſquam applicata, vnita, & incorporata fuere, præſenti Decreto applicantur, vniuntur, & perpetuò incorporantur.

SIcut Stellæ in Firmamento emicant, æquè in Eccleſijs Cathedralibus lucubrationes, eruditiones, virtutesq; coruſcant miniſtrorum, qui ſacrarum Scripturarum, Canonicarumq; regularum, pro animarum regimine ad praxim in audiendis ſacramentalibus Confeſſionibus, ac ad Populum docendum, ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; ſacris ritibus, cœremonijs Eccleſiaſticis, & muſica imbuti, & præditi, tàm in Cathedralibus ipſis, quàm in Diœceſum locis ſubleuant onus ſarcinæ Paſtoralis. Idquè attentè Trident. Synodus Sancti Spiritus lumine illuſtrata conſiderans, ac adoleſcentium ætatem pronam ad ſequendas illecebras mundi voluptates, niſi eadem à teneris annis rectè inſtituatur, & informetur: Cõciliari decreto ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales pro modo facultatum, & Diœceſum amplitudine, certum puerorum numerum, in Collegium vnitorum, alendorum, educandorumquè, ex portionibus taxatis fructuum quorumcumque beneficiorum, habeant. Hac de cauſa Prædeceſſores noſtri Paſtores religioſiſſimi, ac vigilantiſſimi, Collegium in perpetuum Seminarium ſuprascripta Conciliari forma, erexerunt. Illudquè Nos in prima Viſitatione ad recta Domus Epiſcopalis anguſtiſſimè, & incommodiſſimè repoſitum, potius ad formam aptioris prouiſionis faciendæ, quam in formam Collegij, inuenimus. Totumq; Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano Octauo Põtifici Maximo fœliciter ſedenti, pro ſtatu noſtræ Eccleſiæ, & Diœceſis, cum propoſito ad commodiorem, & honeſtiorem formam reponendi,

nendi, retulimus. Ad quam reformationem, non ſemel animum noſtrum conuoluimus, infixiuum paupertatis, tum menſæ Epiſcopalis, tum totius Diœceſis beneficiorum vulnus introſpeximus. Quoniam verò bo.me. Ioannes Antonius Epiſcopus Santonius ſimiliter prædeceſſor, dum in humanis vitam ageret, ſingulari ſua prudentia, indicata omnia præmeditabatur, ac miro modo ad ſubleuandos pauperrimos Diœceſanos, qui diuerſis oneribus onuſti, tenuiſſimas diſtributiones capientes, contributionem ſanguinolentam, ne dum ſudoribus quæſtam exoluunt, cum conſilio Capituli ſui, omniumquè Diœceſanorum in Diœceſana Synodo congregatorum ſub prima Martij 1625. eidem Collegio Seminarij nonnulla beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia, facultate ſibi à Trid. Conc. facta ſeſſ. 23. de Reform. cap. 18. citrà tamen præiudicium obtinentium, applicauit, vniuit, & omni modo meliori incorporauit. Quæ incorporata reperimus, imò in vno illorum ſortitum eſſe incorporationis effectum, & fuerunt incorporata hæc, quæ ſequuntur. Beneficium ſimplex Sancti Mercurij in Terra, & territorio Roccę Glorioſę; quod obtinet Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Annibal Maſcambrunus Epiſcopus Stabienſis. Item Beneficia ruralia ſancti Nicolai ad Mazzaueteri in territorio Turturellæ, poſſeſſum à R.D. Philippo Pinto; & Beneficiũ Sancti Marci in territorio, ſiuè diſtrictu Terræ Bonatorũ, quod obtinebat D. Lælius Sanctorius à Laurino; Beneficium ſimplex rurale Sancti Ioannis Marchaneti poſſeſſum à D. Erſilio de Angelis. Vndè pro maiori firmitate, & efficacia enunciatæ applicationis, vnionis, & incorporationis perpetuæ, in prima noſtra Viſitatione ipſius Collegij Seminarij cum conſilio duorum admodum Reuerendorum de Capitulo, nempè Philippi Cauallerij I.V.D. Archidiaconi à nobis electi, & Ioannis Antonij de Iudice Canonici, Seminarijq; Rectoris à Capitulo ſelecti; itemquè duorum de Clero prædictæ Cathedralis, nempè Reuerendorum Ioannis Thomæ Spatharij Sacerdotis à Nobis electi, & Diaconi Petri Pauli de Iudice à Clero, confirmauimus, & approbauimus præfatam applicationem, vnionem, & incorporationem, & ſequentia Beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica, citra tamen præiudicium obtinentium, perpetuò applicamus, vnimus, & incorporamus eiuſdem Sac. Concil. Trident. facultate, & poteſtate ſuffulti, quæ ſunt videlicet, Beneficium ſimplex rurale in territorio Riuelli ſub titulo Sancti Andreæ, quod obtinet Reu. Abbas Franciſcus Pręſterius. Beneficium ſimplex rurale nuncupatum lo Confuſo in territorio Ciuitatis Polycaſtri, quod obtinet N. Pariſius. Item Confraternitatem ſecularium Terræ Battalearum ſub titulo S. Antonij de Padua, cum

cum Cappella extrà, & propè mœnia dictæ Terræ exiſtentem ſub iuriſdictione ordinaria penè deſtitutam, cum omnibus iuribus, redditibus, & oneribus. Ita vt illorum, & vniuſcuiuſque vacatione ſequuta per ceſſum, deceſſum, ac dimiſſionem, applicatio, vnio, & incorporatio eidem Collegio Seminarij facta, abſque vllo alio actu Iudiciali, effectum ſuum ſortitas eſſe, eo ipſo, ex nunc, prout ex tunc, cenſeatur; Rectoremq; illius de facto actualem poſſeſſionem, hoc noſtro præſenti decreto applicationis, vnionis, & perpetuæ incorporationis, facultate ſupra enunciata, pronunciato, apprehendere poſſe declaramus; præfatæ verò Battalearum Cappellæ Sancti Antonij de Padua, illiuſquè Confraternitatis ſecularium, eorumq; iurium, & annexorum quorumcumque vigore præſentis Decreti vnionis, & incorporationis, vt ſupra, perpetuò poſſeſſionem actualem de præſenti apprehendere poſſe decernimus, cum omnibus, & quibuſcumque fructibus, redditibus, & emolumentis, ac pariter cum oneribus Miſſarum, aliorumq; ſeruitiorum, & neceſſariæ refectionis. Actum in Viſitatione Seminarij die nona Iauuarij 1638. Præſentibus Reuerendis D. Horatio Caualerio, & D. Ioanne Turturella Sacerdotibus Terræ Turris Vrſaiæ, alijſq; aſtantibus præſentibus.

P. Epiſcopus Polycaſtrenſis, &c.

De Concubinarijs.

CAP. I.

Concubinatus deteſtabile crimen, mundanæ fœditatis laqueis, multorũ animas ſtringit, miſerabiliter alligatas, facinus ipſum Eccleſiaſticæ ſuperioritatis gladio ſtrictiùs inſequentes, vt frequentiora delicta ſeueriori animaduerſione proſequamur; præcipimus, vt Concubinarij omnes, tàm Clerici, quàm Laici, publicè concubinas habentes, ac eis extrà domum alimenta præſtantes; infrà dies quindecim à præſentis noſtræ Conſtitutionis promulgatione eas relinquant, à domibus eorũ expellant, illamq; inhoneſtam, & maculatam conſuetudinem, ſub excommunicationis pœna dimittant. Et quos eodem morbo in poſterùm laborare videbimus, ſi moniti, intrà ſex dierum ſpatium, ipſarum contubernium, & conuerſationem non relinquent, excommunicationis mucrone feriantur.

Q CAP.

CAP. II.

COncubinarios publicos, itemq; concubinas, ad ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum prohibemus admitti; quamuis ſe abſolutos docere conentur: niſi verè inter ſe conſuetudinem conſtiterit reliquiſſe, per temporis ſpatium nõ affectatum: quod, Nobis inſcijs, numquam fieri mandamus. Clericos tanti ſceleris reos, impuritate, immundoq; cõcubinatu ſordeſcentes, præter pœnas à ſacris Canonibus inflictas, carceris, etiam Beneficiorum priuationis, aliſq; pœnis, noſtro arbitratu, ſubijcimus infligendis.

Trid. ſeſſ. 25. c. 14. de refor.

CAP. III.

SI Laici, tanta peccati huius caligine obtenebrati, illo volutabro luti fœdiſſimi peruoluentes, cenſuras Eccleſiaſticas paruipendentes, à carnis delicto abſtinere non curent; Magiſtratus temporales hortamur, vt eorum brachij poteſtatem, (quam inuocamus) alacritate, qua tenentur, impartiant, & ad tàm peſtiferum morbum eradicandum, & præſertim Concubinas, iuxtà ſac. Conc. Trid. Decretũ expellendas, nobiſcum auxiliando concurrant.

Seſſ. 24. de refor. mat im. cap. 8.

De Vſuris.

CAP. I.

IMprobum fœnus vſurariæ prauitatis, crimen à diuina lege tantoperè reprobatum; vt à commiſſo Nobis populo, pro poſſe, eradicemus, omnes tàm viros, quàm mulieres, vſuram in contractibus, & negotijs committentes, mediatores, Notarios, ac quoſcumque contractus fœneratitios celebrantes, excommunicatos, & contractus nullos, præcipimus declarari; quos Curati niſi plenaria reſtitutione ablatorum peracta, abſoluere non præſumant, eosq; mortuos ad Eccleſiaſticam ſepulturam non admittant, niſi cum effectu fuerint, quæ legauerint reſtituta, vel ſaltèm penes tertium, à Curato eligendum, actualiter deponantur. Horumq; Curatum tranſgreſſorem excommunicatione volumus innodari.

CAP. II.

QVidquid à mutuo vero, vel interpretatiuo, ſiuè in pecunia, ſiuè aliquo pecunia æſtimabili, vltrà ſortem venit acceptum, vſuræ crimen, quod diuerſimodè committi poteſt, conſtituit. Incurrunt hoc crimen bona maiori iuſto pretio, dilata ſolutione, vendentes, vel

bona,

Digitized by Google

bona, hominumq; operas minoris iuſto pretio, ex anticipata ſolutione, ementes; item in locationem animalia tradere colludentes, cum re vera, non illa, ſed pretium datur, in fine anni, cum lucro reſtituendum.

CAP. III.

ANimalia ad pecunias, aliasvè res, certo ſtatuto lucra præbentes; vel ad capitale ſaluum, cum certi, vel incerti lucri pactione paciſcentes; ſi capitale mortalitate peribit, acceptor obnoxius nullo modo remanere debebit: nullus erit contractus, & qui ſic contraxerint è Sixti V. Bulla, tamquam manifeſti vſurarij punientur. Item, qui bona deterioris tradunt, melioris conditionis tractu temporis recepturi, vſuræ crimen committunt.

CAP. IV.

ETiam fœneratorum filij, extraneiq; hæredes, ad quos ipſorum bona deuoluerunt, diſtrictione Canonica, vſuras indebitè extortas reſtituere compellantur. Cap. tua nos, de vſur.

De ſententia excommunicationis etiam pro rebus deperditis fulminanda.

CAP. I.

LEthales morbi remediorum acerbitate curari ſolent, corpusq; languens ſæpè membrorum abſciſſione ſanatur. Vt anima etiam, peccatorum ſauciata veneno, ope ſpiritualis remedij à languore reſurgat; Alma Mater Eccleſia (re poſtulante) eam mucroni excommunicationis ſupponit, vt cum ſe tàm graui fulmine percuſſam agnoſcit, à praua contumacia, & peccato reſipiſcat. Vndè medela, ex proferentis parte, & medicinalis ex parte excommunicati, eſſe debet excommunicatio, cum ex parte agentis ad ſanãdum porrigatur, & ex parte patientis, excommunicati, patienter tolerari debeat, vt ſe paratum obedire oſtendat, & ſic ſuum diſciplina ſortietur effectum. Varijsq; epithetis appellatur, ad ſalutem animæ vndique conferentibus; illaq; magna circumſpectione exercenda eſt, ne magis contemni, quàm formidari videatur, & perniciem potius afferat, quàm ſalutem. At ne oues creditæ, propriæ ſalutis immemores, in illius vinculis inſordeſcant, Parochis, & Vicarijs locorum Foraneis, totius noſtræ Diœceſis, ſtrictè præcipimus, vt quos, per anni curſum, in cenſuris Eccleſiaſticis viderint perdurare, Nobis, vel noſtro Ge-

nerali Vicario, denuncient, vt in illos, tanquam de Hæreſi ſuſpectos, procedere valeamus, cenſurarumq; vinculis innodatos, ſingulis menſibus aggrauari, publicèq; denunciari iubemus; vt rubor, ſi non timor, pertinaces emendet, cæteriq; infectas oues refugiant.

CAP. II.

MOnitoriales litteras, quæ pro rebus deperditis, damnis illatis, actibusq; non apparentibus impetrantur, vnà cum ſententia excommunicationis, à noſtro tantum Generali Vicario, præcipimus concedendas, qui nec illas pro minimis quibusq; rebus impendat: ſed quæ ſummam ſaltem quatuor ducatorum excedant, vt pauperrimæ noſtræ Diœceſis vires requirunt. At pro rebus minorem ſummam valentibus, monitoriales tantum indulgemus concedi: Eccleſiaſticis tamen rebus exceptis, pro quibus, licet ſumma minor exiſtat, nolumus denegari.

CAP. III.

SAcerdotes coram denunciato excommunicato, vel notorio Clerici percuſſore, etiam ſi ſe aſſerant abſolutos, niſi legitima documenta abſolutionis oſtendant, ſub pœnis à iure ſtatutis, aliiſq; noſtro arbitrio infligendis, caueant celebrare. Mucrone excommunicationis percuſſi, his ſe actibus ingerentes, qui ligari excommunicatione vetantur, mortaliter ſe peccare pernoſcant.

CAP. IV.

SYnodales excommunicationes, Dominica Palmarum in Parochialibus totius Diœceſis noſtræ, dùm maior Populi conuentus conuenit, vna cum Bulla die Cœnæ legi ſolita, à Vicarijs Foraneis publicentur, prout inferiùs annotantur; præter alias in Decretis noſtris ſynodalibus fulminatas. Quivè illorum negligens fuerit, pœnam librarum ceræ albæ decem exoluet.

Sequuntur Excommunicationes Synodales.

1 EOs, qui omnipotentem Deum, Beatiſſimam Virginem, aliosvè Sanctos publicè, animo deliberato, atque ex praua conſuetudine blaſphemare, ac eos, qui facto iniuriam, aliquo modo, ſacris eorum Imaginibus audent inferre, mucrone excommunicationis percutimus.

2 De-

2 Declaramus, & publicamus excommunicatos eos, qui bona, censuſ, iura, & actiones Eccleſiæ, menſæq; noſtræ Epiſcopalis, vel aliarum Eccleſiarum, piorumq; locorum occupant, quorum abſolutio, ex ſac. Trid. diſpoſitione, Summo Pontifici reſeruatur. Trid. Seſſ. 22. cap. 11. de refor.

3 Eos item declaramus excommunicatos, qui mulieres ad ſe monacandum coegerint, auxiliũ, conſilium, fauoremq; præſtiterint, vt inuitæ monaſteria intrent, aut non ſua ſponte profeſſionem emittant, niſi in caſibus à iure expreſſis: illos pariter, qui earumdem mulierum, accipiendi, vel emittendi voti, quoquo modo, ſine iuſta cauſa, impediunt voluntatem. Trid. ſeſſ. 25. c. 8. de regul.

4 Excommunicati declarantur in duello pugnantes, & ad id auxilium, & fauorem præſtantes, permittentes, & qui inſpectatores duelli exiſtunt; nec non qui alios ad pugnam, etiam priuatim appellant, quamuis non ſequatur effectus, dummodo per prouocantes non ſteterit eueniſſe: & qui prouocatoria ſcripta, ſeu libellos, ad huiuſmodi duellum prouocandum, ſcripſerint, compoſuerint, dictauerint, vel quoquomodo ſe ingeſſerint, iuxtà ſac. Trid. Conc. decretum, Greg. XIII., & Clem. VIII. fœl. recor. ſtatuta. Seſſ. 25. c. 19. de Refor.

5 Excommunicamus omnes furantes, & vſurpantes calices, cruces, vaſaq; ſacra; aliasvè res cultui diuino deputatas.

6 Excõmunicamus omnes, qui hæreticos ſciunt in Diœceſi noſtra morantes, & Nobis, vel Generali noſtro Vicario, reuelare non curant.

7 Excommunicamus ſortilegos, incantatores, maleficos, & maleficia exercentes, ad eos euntes, pro huiuſmodi ſortilegijs, incantationibus, & maleficijs faciendis, ſi exequutioni demandauerint, conſulentes, & pocula abortiua præbentes, dum fœtus animatus exiſtit.

8 Excommunicamus omnes Oleis ſanctis, Chriſmatis, Cathecumenorum, & infirmorum, vel qualibet re ſacra, in ſortilegijs, cæteriſquè nefarijs operibus abutentes, eaq; dantes, vel accipientes, vt in ſimilibus abutantur.

9 Excommunicatos declaramus eos, qui bona Eccleſiaſtica, piorumq; locorum alienant, & locant, aliaq; accipiunt, vltrà tempus à Iure permiſſum, & fraudantes, vel monitos nõ ſoluentes, cenſus, ad Eccleſias pertinentes.

10 Ex-

10 Excommunicatos declaramus omnes Eccleſiaſticæ immunitatis violatores, ac per vim eos, qui ad Eccleſias, vel Palatium noſtrum Epiſcopale confugiunt, extrahentes.

11 Excommunicamus eos, qui auſu temerario Aduocatos, Procuratores, Actuarios, Notarios; ſeu alios officiales noſtros in Palatio præſertim noſtro, & eos, qui iuſtitiam petituri ad illud accedunt, iniurijs, & cõtumelijs, facto, vel verbo afficere nõ verecundantur: nec nõ aliud quodcumq; crimen enorme, in eodem noſtro Palatio cõmittentes, qui ſi Clerici fuerint, illos Clericatu priuabimus.

12 Excommunicamus omnes prohibentes eos, qui ad pias cauſas teſtari volunt.

13 Excommunicamus Vſurarios publicos, ac ſimulatos contractus in fraudem vſurarum facientes, & illos ſcribentes, falſum deponentes, & Inſtrumenta falſa, in tertij præiudicium fabricantes, Apoſtolicas litteras, & noſtras, vel Curiæ noſtræ falſantes.

14 Excommunicamus omnes, in Eccleſijs, Cappellis, & locis pijs, ſe carnaliter commiſcentes; taxillis, aleis, aut quouis prohibito ludo ludentes.

15 Excommunicamus etiam occupantes Eccleſiarum inuentaria, acta, Inſtrumenta, publicas, & priuatas ſcripturas, ad Eccleſias ipſas, & ad Curiam noſtram pertinentes.

16 Excommunicamus item omnes incidentes arbores, & vineas Eccleſiæ noſtræ, aliarumq; Eccleſiarum, & locorum piorum: dũmodo damnum inferant ad ſummam reatus mortalis. Eos item monemus ſub pœna excommunicationis, ne damnum inferant, per inciſionem, & ignem, arboribus, vineis, campis Ciuium quorumcumquè noſtræ Diœceſis locorum.

17 Excommunicamus parentes, qui infantulos, nondum elapſo anno ſecum condormire fecerint.

18 Excommunicamus eos, qui auſu temerario, & per contemptũ, ſclopos, archibuſettos, & pugiones in Eccleſijs aſportant, ſiuè explodunt, vel abſcondunt.

19 Eos

19 Eos pariter excommunicamus, etiam ſi Domini temporales, & Magiſtratus exiſtant, qui impedimentis commenticijs obiectis, minis, aut pœnis, directè, vel indirectè matrimonia impediunt, aut cogunt ad contrahendum cum certis perſonis, libertatem matrimonij tollendo.

20 Eos item excommunicamus, qui matrimonij vſum, maleficijs, & incantationibus, alijsq; nefarijs artibus impediunt, mandant, conſulunt, auxiliumq; præſtant impediri.

21 Eos item excommunicamus, qui per indirectum grauant parentes, & fratres Clericorũ in contributionibus, & collectis, etiam Fiſcalibus, cum Clericos grauare non poſſint.

22 Eos inſuper excommunicamus, qui impediunt verbis cõminatorijs, etiam per interpoſitas perſonas, vel carcerando de facto, ni iura Vniuerſitatis apud tribunalia tueantur.

23 Eos inſuper excommunicamus, qui Diaconos ſeluaticos, ſeruitio Eccleſiarum, & noſtro addictos, compellunt ſeruire quocumquè modo, & carceribus mancipant.

Omnes excommunicationes Iuris communis, præter præſentes Synodales, & alias ſuis locis inflictas, iudicio noſtro Epiſcopali abſoluendæ reſeruantur.

De Obedientia, & Cathedratico.

PAſtoralis auctoritas, ſubditorum obedientia, debito Iure præſtanda, effulgere debet, quæ ideò nequit ex Sacrorum Canonũ diſpoſitione præſcribi. Hoc itaque noſtro decreto ſancimus, vt ſingulis annis in feſtò Aſſumptæ Virginis ſacratiſſimæ in cœlum, noſtræ Titularis, & pientiſſimæ Patronæ, Abbates, Curati, & Beneficiati, alijq; omnes accedant, qui, quomodocumq; ad obedientiã accedere cõſueuerunt, quodq; præſtituri ſunt Epiſcopali noſtræ menſæ, perſoluant.

De Capitulo, & Capitularibus Dignitatibus.

CAP. I.

IN Eccleſia Dei ideò ſunt diuerſa officia inſtituta, vt per illa Cęleſtis Curia repræſentetur, in qua alij ſunt Angeli, alij Archangeli, Prin-

Principatus,& Poteſtates;ideóq; diuerſa officia diuerſis committuntur perſonis, quatenus ex obedientia minorum, & dilectione maiorum erga minores, recta fiat adminiſtratio ſingulorum officiorum: aliter enim Vniuerſitas rerum recte gubernari non poſſet: & maioritas vnionem conſeruat, viresq. ſemper reddit vnio fortiores: & ſicut minor maiori cedit, & reuerenriam præſtat, & in quibus debet reuerentiam exhibet, ita maior inferiorem toleret, diligat, atque iuuet, ad Dei laudem, & gloriam, ſeruitiumquè, communemq; vtilitatem; idem inuicem ſentientes, caritatem nutrient, & amorem.

CAP. II.

IN Eccleſia noſtra prima Dignitas eſt Archidiaconatus, cui, ſuæq; præbendæ in Eccleſia ipſa, eſt cura animarum annexa; ſecunda eſt Cantoria, ſiuè Primiceriatus, quæ Præbenda non caret, & Chorũ dirigere tenetur. Præter has duas, nullæ aliæ ſunt Dignitates. Canonici decem numero ſunt inſtituti, qui præbendis carent: eis tamen certi redditus ex menſa Epiſcopali diſmẽbrati, aſſignati fuere vt traditur, qui diuiduntur inter præſentes, detracta tertia parte, pro quotidianis diſtributionibus, inter inſeruientes diſtribuenda, in redditibus ipſis, traditur etiam decem manſionarios participaſſe, qui præ deſolatione Ciuitatis, ex longo tempore deſunt: & pars Canonicorum, qui cum Præbendis careant, & redditus illorum ex menſa prædicta excorporati fuere; ſemper, omniq; tempore ab Epiſcopo ordinaria auctoritate creantur. Iſquè, & Dignitates vſum habent almutiorum, coloris violacei ex Cameloto, vel ſerico panno, & ex reuerſo muniuntur armiſino purpurei coloris, quæ modò ad collum, ſuper humeros infibulata, & modò è brachio pendentia deferuntur. Præter hæc, quæ manu feruntur, nihil funditus ſciri poteſt: quia ſcripturæ, vt dicunt, cum gentibus perierunt.

CAP. III.

CApitulares, quando congregari contigerit, dignior qui fuerit, de Noſtra, vel Generalis Vicarij licentia, Canonicos conuocabit, & per diem antea, quæ tractanda ſunt, ſingulis intimentur in ſcriptis; & de ſero daro ſigno Campanæ pro die ſequenti, aſſignata nora in mandato, noſtra, vel Generalis Vicarij ſubſcriptione, munito; nec tractatum aggredi præſumant, niſi fuſis precibus ad Spiritum Sanctum, per digniorem ipſum. Syndicus (ſiuè vt aiunt) Præpoſitus ſingulis annis eligatur, forma tradita ſuo loco peculiari.

CAP. IV.

IN Capitularibus electionibus quibuſcumque, & in ea poſſiſſimùm, quando Eccleſia eſt viduata Paſtore, in qua malus periculum vertitur, ideoquè cautiùs agendum, ſciant, atque meminerint Capitulares, Electiones liberas in eligentium libertate eſſe debere, aliàs redundarent in grauamen, & perniciem libertatis Eccleſiaſticæ. Abſtineant ideò à Laicalibus precibus,& conatibus quocunque modo adhibendis, expreſsè, vel tacitè, directè, vel indirectè; per vim, & metum eligi; ſed remittant ſeipſos ad diuini numinis voluntatem, à qua omnia pendent, & prouidentur. Et electiones ſemper erunt de litteratis, bonis, honeſtis, & prouidis viris. Qui autem aliter electionem violentauerint, eamquè violentari procurauerint, ſint fructu electionis priuati; & eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Laici verò electionibus, quomodolibet, vt ſupra, ſe ingerentes, ac etiam conſanguineos eligentium, reſpectu electionis, grauantes, grauariquè mandantes, ratum habentes, conſilium, fauoremquè præſtantes, ſententia excommunicationis eos ligatos, & innodatos eſſe declaramus, liberandos à Pontifice tantum. Cap Sciant cuncti, de elect. in 6.

De Synodo.

CAP. I.

NE Curati Diœceſis noſtræ, rerum, quæ ad eorum munus ſpectant, inſcij reperiantur, vtquè præ oculis poſſint à Nobis, pro bono Animarum regimine, ſtatuta tenere, Curatum quemque noſtræ Iuriſdictioni ſubiectum, Decretorum præſentium Synodalium libellum, infrà menſem, poſt illius impreſſionem, habendum, ſub pœna ducatorum duodecim, & alia arbitraria, volumus obligari; omneſquè in ea contenta ſtudioſè perlegant, & accuratè obſeruent, ſi ſeueram caſtigationem cupiunt declinare.

CAP. II.

PRædeceſſoris noſtri Vrbani Epiſcopi bo. mem. Synodalia Decreta, niſi noſtris, & ſacris Canonibus, aduerſentur, in ſuo erunt robore permanſura, in quibus dumtaxat, per noſtra nihil fuit de nouo prouiſum.

CAP. III.

CVmquè ſuper noſtris Decretis difficultas aliqua oriri contigerit, illius enucleationem, & ſenſum, noſtro Iudicio reſeruamus: auctoritate tamen ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalua, cuius arbitrio Nos ipſos, & hæc omnia, humiliter ſubijcimus corrigenda.

CAP. IV.

VBicumque per ſacros Canones, & ſanctiſſimorum Pontificum Conſtitutiones, aliæ pœnæ ſtatutæ reperiuntur, aut de conſuetudine, præter illas à Nobis impoſitas, introductæ, ob iſtas nolumus immutari, ſed ſimul in ſuo robore permanere; vbi nulla impoſita eſt pœna, noſtro arbitrio venerit imponenda.

CAP. V.

CEnſeatur etiam Nobis facultas reſeruata, pœnas impoſitas commutandi, moderandi, relaxandi; & hæc noſtra violantes, exilio, ſuſpenſione, carcere, pœnis etiam pecuniarijs, & excommunicationis in ſubſidium, puniendi, prout perſona, tempus, & delicti qualitas poſtulabit.

Indictio futuræ Synodi.

SYnodus ad ſacri Tridentini præſcriptum, Deo annuente, ſingulis annis celebrabitur in feſto ſacratiſſimæ Virginis noſtræ magnæ Dominæ Aſſumptæ in cęlum, quo die omnes,qui de Iure,& cõſuetudine intereſſe debebunt, antea promonebuntur cum commi- natione pœnarum, vt effectiuè interſint.

De Iudicibus Synodalibus à Synodo approbatis.

VT cauſæ,tàm ſpirituales, quàm temporales ad forum Eccleſiaſticum pertinentes à ſancta Sede Apoſtolica in partibus delegandæ, ſolertia,& integritate, qua conuenit, explicentur, & terminentur. Hos infraſcriptos,qualitatibus à ſacris Decretis requiſitis ornatos,eligimus, & deputamus.

R. Philippum Caualerium Archidiaconum V. I. D.

R. Ioannem Dominicum Cayafa Cantorem V. I. D. Prothonotarium Apoſtolicum.

R. Hilarium Patronella Canonicum V. I. D. Prothonotarium Apoſtolicum.

R.D. Franciſcum Spataro Canonicum.

R.D. Ioannem Antonium de Iudice Canonicum.

R.D. Philippum Cayafa Canonicum.

R.D. Horatium de Marco Canonicum.

R.D. Marcum de Roſa Canonicum.

De Examinatoribus Synodalibus à Synodo approbatis.

SAcri œcumenici Tridentini Concilij,circà Synodalium Examinatorum electionem,ſtatuta ſectantes, hos noſtra Diœceſana Synodus eruditos,& pietate conſpicuos,ſtatuit eligendos.

R.Philippum Caualerium Archidiaconum V.I.D.

R.Ioannem Dominicum Cayafa Cantorem V. I. D. Prothonotarium Apoſtolicum

R. Flauium Patronella Canonicum V. I. D. Prothonotarium Apoſtolicum.

R.Ioannem Antonium de IudiceCanonicum.

R.Philippum Cayafa Canonicum.

R. Marcum de Roſa Canonicum.

R.Angelum Galterium à Lacunigro V.I.D.

R. Mauritium Conte à Latonico V.I.D.
R. Florauantem Vitale à Lauria V.I.D.
R. Iulium Cæſarem Pariſe à Lacunigro V.I.D.
R. Ioan. Bapt. Vitarella Archipresbyterum Terræ Lauriæ.
R. Marcum Antoniũ Mazzæo Cantorem Curatũ Terræ Lauriæ.
R. Ioſeph Turturella Archipresbyterum terræ Lacus nigri.
R. Ioannem Mariam Ferrarium Archipresbyterum S. Nicolai Terræ Riuelli.
R. Marcum Magrum Archipresbyterum Terræ Turturellæ.

Quibus eiuſdem Trid. Decretis inhærẽtes, fuit à Nobis iuramentum de munere exercendo delatum, humana quacumque actione, & auaritia deiecta.

De Teſtibus Synodalibus, eorumvè officio.

Cap. fin. de offic. Archipresbyteri.

VT in nullo titubet diſciplina Eccleſiaſtica, ſua debet Epiſcopus onera partiri; aliàs ſarcina, quæ præmit erga ſibi commiſſas oues ad terram proſtraret. Ideòq; piorum Religioſorum prudentium, ac virtutum Chriſtianarum ſtudioſorũ opera ſubleuatur, quia ſunt Viri graues, zelo Chriſtianæ diſciplinæ illuſtres, & forma Cleri totius verbo, & exemplo potentes. Vndè ea, quæ de Synodalibus teſtibus à ſacris Canonibus, tàm piè, tàmq; prudenter ſancita ſunt, retinentes: hac noſtra Synodali conſtitutione præcipimus, vt ad hoc opus cooperatores electi, forma iuriſiurandi, antiquo canone præſcripta, perſtringantur vigilare; An Parochi ſolicitè ſaluti animarum commiſſarum inuigilent; an circa vſum, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſe tales ornatos, & compoſitos, quales eſſe decet, oſtendant; an præſentes ſint ſuis Eccleſijs, reſidendo, Doctrinam Chriſtianam, rudimentaq; Fidei, ſicuti alibi iuſſimus, pueros edoceant, & diebus feſtiuis, alijsq; ſolemnioribus in Miſſis plebem ſalutaribus exhortationibus, pro capacitate illius, lingua vernacula inſtruant. An totus Clerus debitis officijs vigilet, vita, & honeſtate, vt par eſt, ſe præditum oſtendat. Videant etiam, an Populus in via Domini ambulet; ſit frequens diuinis officijs, & prædicationibus; numvè dies feſtos colat; Quadrageſimale, alijsq; ſtatutis temporibus ieiunium ſeruet. In eo aliquis an ſit ſacrilegus, excommunicatus, blaſphemus, concubinarius, inceſtuoſus, adulter, mulierum raptor, magijs, alijsq; ſuperſtitionibus inuolutus, & de hæreſi (quod abſit) ſuſpectus; An quis in vſuræ voracitate verſetur, nùm pia legata, quæ defunctorum animas ſubleuant, ſoluantur; & quis Eccleſiaſti-

Can. Epiſcopus 35. q. 6.

corum

eorum bonorum ſit inuaſor, & detemptor vſurpando. Si ordinationes,& decreta, Conſtitutionesq; ſynodales ſeruentur. Ipſi ſecretò in proprijs locis à Nobis ſignandis, omni, qua poterint dexteritate modeſta, perquirant, quæ correctionem, & emendationem deſiderant, deinde Nos conſulant, vt ope diuina, neceſſitatibus occurramus.

Fuerunt electi, & deputati.

In Ciuitate Polycaſtri.

R.Horatius de Marco Canonicus.

In Terra Lauriæ.

R.Stephanus Carlomango.

R.Ioſeph Fittipaldus.

R. Ioannes Franciſcus Parrazzinus.

R.Marcus Antonius Clarello.

In Terra Latonici.

R. Hieronymus Feudo Archipreſbyter.

R.Angelus Caricato.

In Terra Lacus nigri.

R. Ioſeph Turturella Archipresbyter.

R.Philippus Vitale.

In Terra Riuelli.

R. Ioannes Maria Ferrarius Archipresbyter.

R.Bartholomaus Santoro.

R.Ioannes Iacobus Filizzola.

R.Marſilius Migale.

In Terra Triclinæ.

R.Sabbatus Schittino.

R.Franciſcus Iannino:

In Terra Turracæ.

R.Cæſar Brando.

R.Ioannes Blaſius.

In Terra Bonatorum.

R.Rutilius Curtio.

R.Iacobus Curtio.

In Terra Turturellæ.

R.Pompeius Patronella.

R.Maria Patronella.

In Terra Battalearum.

R.Ioannes Blaſius Lettieri.

R.Horatius Lettieri.

In Terra Caſaletti.

R.Frãciſcus Falce Archipresbyter.

In Terra Caſellarum.

R.Franciſcus Antonius Salomone.

R.Lucas Barbella.

In Terra Morigeratorum.

R. Ioannes Dominicus Nicodemo:

In Terra Sicilorum.

R.Flaminius Cayafa.

R.Fabritius Cartolano.

In Terra S. Marinæ.

R. Franciſcus Antonius de Iudice.

In Terra Turris Vrſaiæ.

R.Ioannes Turturella.

In Caſtro Rogerio.

R.Conſtantinus de Georgio.

In Terra Roccæ.

R.Hortenſius Detto.

R.Flauius de Curtijs.

In Terra S.Ioannis ad Pyrum.

R.Dominicus Pignataro.

R.Iacobus de Luula.

In Terra Camerotæ.

R.Frãciſcus Agamenon Quinque.

R.Ioannes Paulus de Mango.

In Terra Lentiſcoſæ.

R. Martinus Finello.

Secretarius Synodi.

R. Marcus de Roſa Canonicus.

Promotor Synodi.

R. Ioannes Antonius de Iudice Canonicus.

Notarius Synodi.

Clericus Ioannes Caputus Apoſtolica auctoritate Notarius Terræ Turris Vrſaia.

✝ EGO PETRVS EPISCOPVS POLYCASTREN.

Ego Philippus Cauſlerius Archidiaconus Polycaſtrenſis.

✝ *Ego Ioannes Dominicus Cayafa Cantor Polycaſtrenſis.*

✝ *Ego Flauius Patronella Canonicus Polycaſtrenſis:*

Ego Ioannes Antonius de Iudice Canonicus Polycaſtrenſis.

✝ *Ego Franciſcus Spatarius Canonicus Polycaſtrenſis.*

✝ *Ego Philippus Cayafa Canonicus Polycaſtrenſis.*

Ego Horatius de Marco Canonicus Polycaſtrenſis.

✝ *Ego Ioannes Baptiſta Vitarella Archipresbyter Terræ Lauriæ.*

Ego Marcus Antonius Mazzeus Cantor, Curatus Terræ Lauriæ.

✝ *Ego Ioſeph Turturella Archipresbyter Lacus nigri.*

✝ *Ego Ioãnes Maria Ferrarius Archipresbyter S. Nicolai Terræ Riuelli.*

✝ *Ego Chryſoſtomus Megale RusCuratus S. Mariæ de Podio Riuelli.*

Ego Trolius Carleus Archipresbyter, & Foraneus Sicilinorum.

Ego Iacobus Antonius Piſciottanus Mandatarius Curati Cellarum infirmi.

Ego Flaminius Guida Curatus Podariæ.

Ego Marcus Magiſtus Archipresbyter Turturellæ.

Ego Ioſeph Ricius Archipresbyter Battalearum.

Ego Marcus Antonius Fulconus Curatus S. Chriſtofari, & Hiſpanorum.

✝ *Ego Franciſcus Antonius de Iudice pro Archipresbytero S. Marinæ infirmo, & Vicarius Foraneus eiuſdem.*

Ego Hieronymus Feudus Archipresbyter Terræ Latonici.

Ego Pomponius de Cobucia pro Archipresbytero Roccæ.

✝ *Ego Tiberius Perellus ProCuratus Rocchettæ.*

✝ *Ego Franciſcus Agamenon Quinque Procurator Archipresbyteri, & Cantor Terræ Camerotæ, ac Vicarius Foraneus.*

Ego Ioannes Petrus Schettinus Archipresbyter Terræ Tricblinæ.

Ego Octauianus Rendinellus Curatus Lentiſcoſæ.

✝ *Ego Sabbatus Schettinus Vicarius Foraneus Tricblinæ.*

Ego

Ego Franciſcus Falcis Archipresbyter, & Foraneus Caſaletti.
Ego Marcellus Soria Archipresbyter, & Foraneus Caſellarum.
Ego Franciſcus Sorrentinus pro Archipresbytero S. Ioannis ad Pyrum infirmo.
Ego Dominicus Pignatarius Vicarius Foraneus in Terra S. Ioannis ad Pyrum.
Ego Ioannes Petrus Citrola Mandatarius Archipresbyteri Turris Vrſaya infirmi.
Ego Philippus Vitalis Vicarius Foraneus Lacunigrenſis.
Ego Ioannes Dominicus Nicodemus ProCuratus, & Foraneus Morgeratorum.
Ego Thomas Spadarius Vicarius Foraneus Ciuitatis Policaſtrenſis.
Ego Thomas Ricius Cantor, & Vicarius Foraneus Battalearum.
Ego Pompeus Patronella Vicarius Foraneus Turturellæ.
Ego Martinus Finellus Vicarius Foraneus Lentiſcoſæ.
Ego Dominicus Magaldo Archipreſbyter, & Foraneus Torracæ.
Ego Ioannes Dominicus Brandus Archipreſbyter, & Foraneus Terræ Bonatorum.

Digitized by Google

TITVLORVM INDEX.

DE Fide Catholica, eiusq; profeſſione emittenda. pag. 9
De Doctrina Chriſtiana edocenda, & obedientia erga Deum, & parentes habenda. 12
De Verbi Dei prædicatione. 15
De Blaſphemia, & Blaſphemis. 18
De Hæreticis, Magijs, Veneficijs, Incantationibus, Sortilegijs, alijsq; ſuperſtitionibus. 20
De Exorciſmo. 21
De cultu, & obſeruatione Feſtorum. 22
De Quadrageſima, & obſeruatione Ieiunij. 26
De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio. 30
De diſtributione Candelarum in Feſto Purificationis B. Mariæ Virginis, Cereo Paſchali, vſuq; Incenſi in thurificationibus. 36
De expoſitione auguſtiſſimi Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, & proceſſionibus in ſolemnitate Corporis Chriſti. 37
De tripartita ſacratiſſimi Roſarij recitatione. 39
De Indulgentijs, & Eleemoſynarum Quæſtuarijs. 40
De immunitate Eccleſiarum, & reuerentia illis exhibenda. 41
De publicis Proceſſionibus. 46
De horis Canonicis, & quotidianis diſtributionibus. 49
De Sacramentis in genere. 52
De Baptiſmi Sacramento. 53
De Sacramento Confirmationis. 56
De ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento. 57
Caſus reſeruati Epiſcopi iudicio. 63
De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. 64
De Sacramento Ordinis. 69
De Sacramento Matrimonij. 73

De

De Sacramento Extremæ vnctionis. 78
De Exequijs, & Sepulturis. 81
De Legatis pijs. 84
De officio Parochi. 85
De officio Vicarij Foranei. 89
De officio Cantorum nuncupatorum. 91
De officio Sacriſtæ. 93
De officio Procuratoris, vel Syndici Cleri, Præpoſiti nuncupati. 95
De bonis Eccleſiaſticis, & iuribus Eccleſiarum. 97
De Montibus Pietatis pecuniarum, & frugum in Pauperum alimoniam, Confratrijs, Hoſpitalibus, alijsq; pijs laicorum locis. 100
De vita, & honeſtate Clericorum. 107
De Seminario puerorum Clericorum. 113
De Concubinarijs. 121
De Vſuris. 122
De ſententia excommunicationis, etiam pro rebus deperditis fulminanda. 123
De excommunicationibus Synodalibus. 124
De obedientia, & Cathedratico. 127
De Capitulo, & Capitularibus Dignitatibus. 127
De Synodo. 131
De Iudicibus Synodalibus à Synodo approbatis. 131
De Examinatoribus Synodalibus à Synodo approbatis. 131
De Teſtibus Synodalibus, eorumquè officio. 132

F I N I S.

VA1 1528608

Digitized by Google